


Nº A

3 - 329



0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14





R.2591

REGULÆ  
COMMUNES  
CLERICORUM  
REGULARIUM  
MINORUM.



FULGINIÆ 1792.

Typis Jo. Tomassini Impr. Ep.  
Superiorum permisso.

Quicumque hanc Regulam sequuti  
fuerint pax super illos, & mi-  
sericordia. Ad Galat. 6. 16.


PRÆFATI O.

Inter eas legum varietates,  
quæ ad Nostræ Religionis mu-  
nimen in Constitutionum libro  
optima dispositione traduntur,  
Regulæ, seu observantiae com-  
munes congruenti ordine nu-  
merantur. Quandoquidem li-  
quido constat, ex cunctis no-  
stris legibus alias esse, quæ  
generatim ab omnibus, & sin-  
gulis observandæ non erunt,  
sed ab illis dumtaxat, ad quos  
pro ratione muneris, vel gra-  
dus attinent, cuiusmodi esse

<sup>4</sup> perhibentur fere omnes , quæ  
in secunda , tertia , & qua-  
rta Constitutionum parte , &  
multæ etiam , quæ in prima  
continentur ; Alias vero esse ,  
quæ ad omnes , & singulas  
Nostræ Ordinis personas , Sa-  
cerdotes , Clericos , Laicos , si-  
ve Professos , sive Novitios  
spectant , ut ab ipsis commu-  
niter , qua par est uniformi-  
tate serventur . Cumque val-  
de congruat , has ipsas com-  
munes leges in unum redige-  
re , quò brevius , & facilius  
innotescant ; jure , ac meritò  
eas simul in hoc libello colle-  
ctas , atque ex Constitutioni-

<sup>5</sup> bus ( prout Anno 1678. auctæ ,  
ac emendatæ , & a Sancta Se-  
de approbatæ , Typis editæ fue-  
runt ) atque ex Decretis vim  
legis habentibus , secundis cu-  
ris depromptas , lucique ite-  
rum consignatas , servandas  
exhibemus , eo pene ordine ,  
quo in prima Constitutionum  
parte habentur . Omnes ita-  
que , & singulos Nostræ Re-  
ligionis Viros in Domino co-  
hortamur , ut libellum hunc  
privatim sepe legant , medi-  
tentur , observent , & in eo  
perfectionis semitam videant ,  
agnoscant , & discant ; liben-  
ter , atque attente audiant ,

6  
cum publicè in Refectionis loco  
singulis Mensibus ex Constitu-  
tionum prescripto legentur.  
Sed jam Regulas ipsas per se-  
quentia Capita tradimus.



## CAPUT I.

*De Regulis communibus circa fi-  
nem Nostræ Religionis, ac  
media in universum.*

### N. I.

*N*ostræ Religionis, quæ  
communi appella-  
tione Clericorum  
Regularium Minor-  
um insignita est, sciant omnes  
oportet, peculiarem finem, quem  
sibi Divino edocta Spiritu desi-  
gnat, alium non esse, quam vi-

tæ mixtæ, seu contemplationis, & actionis Institutum, quo semper amplitudini charitatis deser-  
viens, non propriæ tantum, sed & proximorum saluti ubique locorum se addicere, Domino adjuvante, intendit.

### N. II.

Ad quem profectò finem omnes, & singuli Nostræ Religionis viri studeant, mentis aciem eo cordis affectu dirigere, ut illius adipiscendi desiderio fer-  
veant, nec ulla prætereat dies, in qua fixa animi intentione non perpendant, hanc ipsorum esse vocationem, nec ad aliud, calcatis Mundi illecebris, unius moris cohabitare in Domo Dei, quam, ut hujus Instituti Cælesti Negotium tota virtute absol-  
vere possint.

N. III. Proinde vero ut ad eum sic designatum finem recto tra-  
mite dirigantur, hæc eis in uni-  
versum apta media ex Constitu-  
tionum lege assumenda intelligant ; Nempe solemnia Vota,  
contemplationis exercitia, & a-  
lios actus erga Deum, erga se  
ipsos, erga Superiores, ac Re-  
ligionem, & denique erga Pro-  
ximum ; quibus omnibus vitam ad prædictum finem ordinantes,  
non alia potiora media sibi sup-  
petere verè credant. Ea tamen magnanimitate prædicti Sanctorum exemplo, altiora æmulantes, plu-  
ra, quam quæ Religio parat, præ-  
stare nitantur. Etsi enim qui-  
busdam legum limitibus Regula-  
rium status contineatur, perfec-  
tionis tamen limites urgens Chri-

sti charitas non agnoscit. Cæterum ad singulas Regulas, circa singula media præscribenda transeamus.

## CAPUT II.

*De Regulis communibus circa solemnia Vota in universum.*

### N. I.

**S**olemnibus Votis semel in Professionis actu emissis, illud superesse videtur, ut completa ratione serventur, quod hic omnibus, & singulis Nostris Professis, sive Sacerdotibus, sive Clericis, sive Laicis insuper in jungimus, videlicet ut ex antiquo, & commendabili ritu Nostræ Religionis quotannis in vigilia Epiphaniæ simul congregati, quæ emisere Vota, denuò renova-

re, & nuncupare teneantur, ea ratione, & ritu, qui in libello de Nostris ritibus habetur.

### N. II.

Ipsò autem renovationis die sic se devote disponere quisque nitatur, ut exercitiis dumtaxat spiritualibus intentus incumbat. Ideoque silentium hac die seriò indicitur, distractionis occasiones præcidantur, extra domum egressus ( quoad fieri poterit ) caveatur; quæcumque etiam corporis quotidiana recreatio tam matutina, quam vespertina cesseret, quicumque vitetur congressus, ut sic devotionis igne succensi medullata offeramus Deo holocausta, reddamusque vota, quae, distinxerunt nostra labia ab initio. Proinde laudabiliter & piè se quisque gereret, si no-

vo semper Spiritu, quotidiana  
Votorum iteratione privatim se  
Domino in holocaustum offerret.

### CAPUT III.

*De Regulis communibus circa  
Paupertatem.*

#### N. I.

**R**eligiosa Paupertas, quæ pa-  
rens quedam est, genera-  
tioque virtutum eo cordis af-  
fectu a Nobis omnibus ample-  
ctenda est, ut verè pateat, ip-  
sam in terris cælestem Nobis  
esse Thesaurum, abdicatis per  
solemne Votum terrenarum qua-  
rumcumque rerum, omniumque  
temporalium bonorum dominio,  
eorumdemque usus jure, ac pro-  
prietate.

#### N. II.

Hæc Deo solemniter pro-  
missa paupertas ita ex Insti-  
tuti professione observanda No-  
bis incumbit, ut communia esse  
intelligantur omnia, & in com-  
muni, & de communi semper  
vivamus. Nemini proinde ex No-  
stris proprium aliquid unquam  
habere, aut appellare licebit,  
immò nec bono aliquo Nobis  
concesso, tanquam proprio uti;  
unde voces *meum*, ac *tuum* eli-  
minantes communi vocabulo quis-  
que in loquendo, atque scriben-  
do significet, se nihil in hac vi-  
ta proprium possidere.

#### N. III.

Nemo item sit, qui per  
se, vel per alium procuret, ut  
sibi, quoad vixerit, sive ad cer-  
tum, definitumque tempus an-

nui redditus, censusve, aut aliqua pecuniæ summa a quocumque, vel propinquo, vel extra-neo, sive testamento, aut do-natione, sive quovis alio titulo, modove relinquuntur. Novitiis verò esto non sibi, domus ta-men congruae sustentationi, at-que commodo consulentes, de li-  
centia Superiorum, præscripto tempore a jure, annum proven-tum, vel determinatam pecu-niam reservare licebit.

## N. IV.

Quæcumque insuper bona non solum immobilia, sed & mo-bilia cujuscumque generis, vel qualitatis fuerint, pecunia, pro-ventus, census supellex, aut quodvis aliud, ad aliquem ex No-stris pervenerint ex eleemosyna, donatione, testamento, legato,

quolibet alio hæreditario titu-lo, aut causa, vel ex quavis hominis, aut juris dispositione, ea omnia statim communia con-stitui, & esse intelligantur, ac Superiori sincera fide manifesten-tur, & respectivè deferantur, in communem capsam reponenda; nec possit quisquam, sine ipsius Superioris licentia, sive in com-munitatis, sive in sui, aut alte-rius usum, vel commodum im-pensam aliquam facere, & qui auctoritate propria, seu indepen-denter a Superiore id agere præ-sumat, pro hujusce proprietatis delicto condignis pœnis subjaceat.

## N. V.

Deposita hinc, extra do-mum apud exterios, vel etiam propinquos servanda nemo com-mittat, nisi Superior ea ratione

concesserit, ut communitatis nomine custodienda tradantur. Nummorum aliquid, præterea, aut Syngrapham suo nomine solvendam, vel ad se aliqua ratione spectantem, aut argentum, aurum, gemmas, & hujusmodi prætiosa apud se habere, & servanda suspicere nemini omnino liceat; sed id omne quod cuique creditum fuerit ut servetur, in communem capsam reponatur, nec ullo unquam tempore inde extrahi possit etiam a Superiori, nisi cum vero Domino restitui debet, sub pœnis a Nostris Constitutionibus statutis.


#### N. VI.

Nulli pariter liceat procurare, aut etiam permittere, ut nummorum quævis summa ab eo in eleemosynas, vel aliud quod-

cumque opus eroganda, sive a liquibus certis, vel incertis personis reddenda sibi injungatur. Si vero hujusmodi, quæ dicuntur confidentiæ, nobis insciis, demandatae, & concreditæ fuerint, id onus ne suscipiatur, antequam Superior Localis licentiam dederit.

**N. VII.**

Nostrorum insuper cubicula ( quorum singula pro singulis erunt ) eorumque supellex non aliter quam paupertate nitescant. Nihil ibi, quod materia, vel artificio sit pretiosum, nil etiam esculenti, aut poculenti, ( nisi tantum ratione infirmitatis, & de licentia Superioris dummodo non sit in magna quantitate ) ibidem retinere licebit. Nudi parietes, lecti simplices sint, & ( habita ra-



tione ætatis, ac qualitatis Regionis) cum unica culcitra, seu intragulo ex lino, aliave parvi pretii materia confecto, cum uno etiam, vel ad summum duobus pulvinaribus. Quatuor denique palmos in latitudine lectuli non excedant. Habeatur tamen eorum ratio, qui acerbæ valetudinis sunt, aut infirmi, quibus latior lectus concedatur. Sedilia etiam non nisi necessaria permittantur. Ut autem in cubiculis prescripta paupertas illæsa maneat, Superiores bis, aut ter in anno, & quoties insuper necessarium duxerint, cubicula visitent singulorum, & quæ forsitan in eis a paupertatis proposito dissona repererint, nullo modo, dissimulando, permittant.

**N. VIII.** Horologia e rotis confecta, aureas, vel argenteas capsulas, libros auro, argento, aut insigniis familiae ornatos, Icones variis coloribus depictas, sculptas, seu cælatae nemo habeat, sed cartaceas, parvique pretii, nec armaria, tabulas, pluteos, & Oratoria ex eo ligno confecta, quod habitat locorum, & Regionum ratione in magno pretiosit, atque in universum, curiosa ornamenta nobis ad privatum usum prohibita esse intelligantur.

### N. IX.

**Ad hæc nemo sit**, qui novam vestem, aut omnino novum aliquid cujuscumque generis fuerit, sive utendum accipiat, si ve apud se habeat, nisi Superior viderit, probaverit, benedi-

ctionemque impertierit. Id etiam nisi de ipsius licentia, sive extraneis, sive nostris commodari; nec insuper, peculiari unquam privati Religiosi signo, si proprio nomine communiri possit. In itinere autem paupertatis leges non minus exacte servandae erunt. Quare nihil aliud, quam in viaticum expendatur, quod si in ipso itinere ab eo emptum quid ait, quomodo libet acquisitum fuerit, id omne, statim Domum reversus, ad Superiorem deferre teneatur.

## N. X.

Ulterius, etsi omnes ex Instituto, ac Solemni Voto paupertatem profiteamur, eam tamen muniditiam nitentem, non sordibus deturpatam amplectimur. Placeat paupertas, displiceant sordes;

unde in cubiculis, in mensa, in viectu, in vestitu, & in omnibus aliis semper paupertati muniditia adjungatur, nec sordidum quid sit nobis permissum. N. XI. Tandem licet vita perfecte, exacteque communis, secundum quam ad mentem oecumenici Tridentini Concilii, aliarumque Apostolicæ Sedis Sanctionum Religionis Nostræ instituta est, ubique vigere debeat, illamque optare, & restitutam libenter amplecti teneamur; nihilo tamen secius cum experientia, non sine magno cordis nostri mero re, nos doceat, eam plurimis ab hinc annis pro temporum calamitatibus, reique familiaris ubique angustiis non potuisse apud nos, nec in hac tempestate posse

ad amussim servari, quantumvis danda sit opera, ut quam diligentissime inducatur, interea tamen (prout Sancta Sedes indulgere consuevit) annui proventus, peculiique usus in res honestas, licitasque impendendi, in illas scilicet, quæ Religiosa a Domo ipsa ius suppeditari debuerant, ad præscriptum Decrétorum tum Apostolicæ Sedis, tum etiam Capitulorum Generalium Nostri Ordinis permissi intelligentur.

## CAPUT IV.

*De Regulis communibus circa Castitatem, & Obedientiam.*

### N. I.

**Q**uæ ad Castitatis virtutem spectare videntur Regularum præscriptiones, hic statuen-

dæ non erunt; cum satis compertum sit, qua ratione, quo ve zelo, cordisque conamine hæc Angelica virtus custodiri meritò debeat; ast quæ ad eam custodiendam circa macerationem carnis, & circa mulierum colloquia hoc loco præscribi possent, infra disponentur.

### N. II.

Ad Obedientiam ergo transeuntes, cum ea (ut Magnus Gregorius ait) sola sit, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit, ad ipsam omni studio complectendam jurè exhortamur. Ea propter Superiores omnes reverebimur, ut parentes, eisque promptè, & sincèrè obediemus, non executione tantum, sed voluntate etiam, & intellectu simul. Quod quidem

facillimè præstabit, qui Christum Dominum in Superiore agnoscerre studuerit. Proinde illicò parendum est Prælato, quod nimirum ille vices Dei gerat, ejusdemque auctoritate fungatur, qui dicit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.*

### N. III.

Proinde se quisque paratum ad obediendum exhibeat, nec expectet, ut Superior scripto, aut voce præcipiat, aut jubendi vim, quam habet, exerceat; sed boni Religiosi partes erunt etiam in his, de quibus nulla extat jussio, aut nihil expressè præscriptum, Superioris voluntatem exquirere, eique animo, & affectu adhærere.

### N. IV.

Commissum quoque sibi onus, vel officium, quodcumque tandem sit, absque discussione quisque recipiat, & pro modulo virium sincerè, ac strenuè exequatur. Nam protervæ mentis signum est, & ambitionis seminarium, Officiorum gradus æstimare, & hoc sibi competere, illud vero minime, ore querulo, & animo perturbato disserire. Cæterum si quid oneris imponatur, quod sibi vires exceedere videatur, ne recuset, sed in Domino confitus humiliter subbeat. Virtus enim Domini in infirmitate perficitur. Si verò sua debilitas, aut ineptitudo Superiorē lateat, ubi eum adierit, & quid se ab illo officio suscipiendo exterreat, humiliter, pla-

cide , & aperte significaverit , nihil aliud superest , quod facere debeat ; proinde Superiori voluntati acquiescat .

## N. V.

Quoniam insuper ( ut Bernardus ait ) perfecta obedientia terminis non arctatur , idcirco , quocumque locorum etiam inter Infideles , atque Indianum regiones Superior migrandum ad legis præscriptum cuique jusserit , nulla interposita mora , quam primum migrare festinet ; nemo propterea audeat aut longioris itineris , aut cuiusvis alterius generis impedimentum , quod Superior non approbet , aliquo modo prætexere .

## N. VI.

Jam verò ordo obedientiæ exposcit , ut non solum Superioribus , verum etiam eorum Vi-

cariis , & Ministris in iis , quæ ad eorum Officia spectant , obediamus . Quare nemo sit , qui illics obtemperare recuset .

## N. VII.

In universum autem adeò celeriter obediendum cuique erit , ut cum primum Campana sonum dederit , aut alio modo obedientiæ signum innotuerit , statim surgere debet , & nec tantum moræ interponere audeat , quantum coepti apicis consumet figuram . Ità enim imitabimur Sanctos , qui ( ut Cassianus refert ) imperfectam litteræ lineam relinquentes , non tam operis complementum , lucrumve se stabantur , quam obedientiæ virtutem exequi toto studio , atque æmulatione festinabant . Religiosi enim viri ( ut ille subdit ) adeò cunctis virtuti-

bus obedientiam præferre debent; ut universa dispendia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violare videantur.

### N. VIII.

Denique, ne conscientiæ laqueus cuiquam injiciatur, notum facimus, inobedientiam eatenus ad lethalem culpam nos inducere, quatenus Superior in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub poena excommunicationis, vel alterius censuræ juxta formam in Constitutione præscriptam quidquam præcipiat. Sed nihilominus quamvis obedientiæ transgressio lethalem culpam, nisi hac jam explicata ratione non inducat, tamen poenæ, & quidem gravi subjicimus omnes, qui eam quovis modo impositam violare non vereantur; ut ita hujusmodi Re-

ligiosi sedulò coercantur, & obedienciæ jugo colla submittere cogantur.

### CAPUT V.

*De Regulis communibus circa  
Votum, & Juramentum  
non ambiendi.*

N. I. *Iov. in lib.  
Quartum solemne Votum, si-  
quacut pri & Juramentum, quo  
omnes ex Nostris ad clericalem  
statum vocati se adstringunt, præ-  
lationes, vel dignitates non pro-  
curandi, quamvis extrinsecos tan-  
tum actus, quibus dignitas pro-  
curatur, sub obligatione (&  
nullo modo desideria dignitatum,  
vel hujusmodi alios actus inter-  
nos) specent; nihilominus, ut  
illæsa ab omni labe serventur,*

cavendum cuique erit, ne vel  
minimis hisce desideriis aditum  
sui cordis patere permittat, &  
quibus tot vitiorum pestilens vi-  
rus erumpit.

## N. II.

Cæterum si contingat (quod  
absit) aliquem ex nostris digni-  
tatem aliquam contra votum præ-  
dictum, vel juramentum sacrile-  
gæ impietate sibi committi, aut  
demandari curasse; tamquam vo-  
ti transgressor, vel etiam per-  
jurum gravissime puniendum es-  
se privatione vocis activæ, &  
passivæ, & inhabilitate ad sil-  
lam, privatione etiam officii, &  
loci, aliisque poenit Superiorum  
arbitrio infligendis justa severi-  
tate decernimus. Qui verò abs-  
que Superiorum licentia gradum  
Magisterii, vel Doctoratus, vel

etiam Cathedram in Academiis  
litterariis, aut munus Regii Con-  
cionatoris, vel Qualificatoris Tri-  
bunalis S. Officii procuraverit,  
poenis quoque a nostris Decre-  
tis statutis subjaceat.

## N. III.

Sub gravi præterea poena  
eundis injungitur, ut Superiori  
statim revelare, & denuntiare  
teneantur, quandocumque ipsis  
innotuerit, quempiam Voti hu-  
jus, aut Juramenti transgressor  
rem aliquo modo fieri; Jure ta-  
men naturæ, ac divino, quoad  
correctionem fraternalm, servato.

## N. IV.

Tandem, ne vel minima de-  
tur ambitionis occasio, prohibe-  
mus, ne quis sive per se, sive  
per alium sibi procurare, aut  
demandari præsumat vel voce in-

in Capitulo, vel alium quemlibet Gubernationis gradum, vel etiam ad Ordines promotionem, aut in secundo gradu Sacerdotem institui, sive insuper Lectoris, sive Concionatoris munere fungi, vel denique ad Sæcularium Confessiones audiendas assignari. Qui contrafecerit, graviter puniatur, & ad eosdem gradus, vel officia perveniendo facultas ne fiat.

## CAPUT VI.

*De Regulis communib[us] circa Contemplationem, & alios Actus erga Deum exercendos.*

### N. I.

**P**ost regulas erga vota servandas consequenti ordine eas, quæ ad exercitia Contemplatio-

nis, & alios actus erga Deum, ejusque cultum spectare videntur, modo prosequemur. Hæc enim nobis ad nostri finis consecutionem secundo loco post vota proponuntur.

### N. II.

In primis ergo intelligamus oportet, hæc exercitia, hosque actus, esse præcipua Nostræ Religionis fundamenta, quibus firmiter innixi perfectionis culmina facile pertingamus. Unde vel ab ipsa prima Novitiatus institutione hoc præcipuo spiritu inbuantur Novitii, ut omnes quotquot sumus, non corpore tantum, sed etiam mente a rebus sæcularibus abducti res divinas assidue contemplari, & in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, diligenter, atque exactissimi obser-

vatores esse conemur. Sic enim optimam partem eligemus, & in illo uno, quod Domini sententia necessarium est, quiescemos.

## N. III.

Proinde Dei etiam Matrem Beataissimam semper Virginem Mariam, ut peculiarem Nostræ Religionis Patronam perpetuo pietatis affectu omnes prosequamur, & semper ad illius patrocinium, atque præsidium fidenti animo confugiamus. Cæterum singula, quæ magis in particulari ad contemplationem, cultumque divinum attinent, per sequentia capita traduntur.



## CAPUT VII.

*De Regulis communibus circa Mentalem Orationem.*

## N. I.

Cum inter omnia contemplationis exercitia primas obtineat vices Mentalis Oratio, sic eam omnes ardenti studio complectamur, ut verè *homines Orationis* videamur, & simus. Cæterum, ut nemo sit, qui a communi Oratione aliquo prætextu abesse possit, statuatur mane prima, & secunda Oratio, ut si quis a prima abesse cogatur (habita tamen prius a Superiore licentia) secundæ interesse non omittat. Sed vespertinam Orationem geminare non refert. Statim itaque ac communis Orationis sive matutinæ, sive vesper-

tinæ signum innotuerit, omnes, & singuli ad designatum a Superiori locum (qui erit ex constitutionum præscripto vel Chorus, vel Ecclesia, vel Oratorium) simul convenient. Neque aliquis sine justa causa, & sine Superioris licentia abesse præsumat.

## N. II.

Communis præterea hæc Orationis ab omnibus Nostris in singulis Domibus, & Collegiis quotidie bis in die, mane scilicet, & vespere semper peragatur ad semihoræ scilicet spatum in exercitorum, Novitiatus separati, & recessus Domibus, atque vespertina in Collegiis; in his vero, pro quibus circularis Orationis, de qua infra non præscribitur, matutina Orationis ad unam horam excurrat. In fine autem

communis hujus Orationis Beattissimæ Virginis Mariæ Lauretanæ lytaniæ simul à Nostris recitentur, uno invocante, cæteris verò respondentibus, post cujus Orationem illæ addantur S. Michaelis Archangeli, Patriarchæ S. Josephi Ordinis Nostræ Tuteiarium, atque ejusdem, Institutoris Beati Francisci Caracciolo.

## N. III.

Porro in designato loco una congregati, hoc simul ordine consistant, ut Præpositus dumtaxat in propria Sede, cæteri verò omnes promiscuè, juxta cuiusque devotionem ibi morentur. Novitiis tamen, ubi conjunctus Novitiatus erit, locum aliquem ibi designet Præpositus, in quo simul uniti permaneant. Nemo verò sit, qui ab incœpta oratio-

ne, antequam communiter absolvatur, abscedere audeat, nisi forte gravi necessitate compulsum. Quo tamen casu licentiam, & benedictionem ab eo, qui præst, petat.

## N. IV.

Præter communem hanc, alia etiam in Domibus recessus, Novitiatus separati, atque exercitorum instituenda erit circularis mentalis oratio, quæ interdiu tantum, vicissim in orbem assidua revolutione in Choro peragetur, singulis diei horis a singulis Religiosis ad eam designatis: hocque erit in his domibus peculiare Nostræ Religionis munus, per quod semper in actu divino conspectui, veluti lampas ardens ipsa possit adstare, lucis fulgorem inde foras effusura.

## N. V.

In ipsa denique tam communi, quam circulari Oratione Ecclesiæ Catholicæ, Congregationalisque Nostræ, & Nostrorum benefactorum, præcipue fel record. Sixti V. Pontificis Maximi, alioruunque Summorum Pontificum, ac sublimium Sæcularum Potestatum meminisse debemus, quorum omnium auspicis ortum, incrementum, tutelam, aut insignia beneficia habuit Religio Nostra.

## CAPUT VIII.

## N. I.

*De Regulis communibus circa Chorum, & Divina Officia.*

Singuli Sacerdotes, & Clerici ad divina officia unà in Cho-

ro celebranda, ad Nostræ Religionis præscriptum convenient, nec aliquis, sine Superioris licentia abesse præsumat. Excipimus eos, quibus ob alia onera subeunda, vel perfuncta Constitutiones ipsæ abesse permittunt. Extra Chorum verò ad Divinum recitandum Officium Clericos Sacris Ordinibus non initiatos Religio Nostra minimè obligare intendit; statutis tamen in proprio ipsorum libello precibus, quas exactè servandas decernimus, ii sedulò incumbant.

## N. II.

Laici quoque ad matutinum surgant, & in Choro medio genuflexi tantisper orent, donec Invitatorio, & Hymno absolutis, primus Psalmus inchoetur. Mox benedictionem simul ab eo,

qui præest, petant, & deinde ad opera sibi præstituta secedant, vel in Ecclesia, dum Matutinum expletur, orantes persistent. Teneantur tamen quotidie privatim recitare per tres supra triginta vices Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, tertiamque alternatim Sanctissimi Rosarii partem, loco, tempore, ac Præside Sacerdote per Superiorem definiendis.

## N. III.

Cæterum Sacerdotes omnes, & Clerici, ut recto ordine Chori munia valeant obire; hæc eis servanda præscribimus. Primum, ut Chorum ingredientes, aqua benedicta se aspergant, & facta Sacramento genuflexione, Superiori, vel Præsidi, aliisque Clericis utriusque Chori profun-

dè se inclinent, & ad proprium locum accedentes ibi devotè genuflexi præparent se ad divinas laudes, donec Præses officium inchoandi signum dederit; & tunc strenuè, alacriter, & sine strepitu ad divinas laudes consurgant.

## N. IV.

Si autem inchoato Officio, vel Missa solemni quíspiam supervenerit, genuflectat in piano Chori, vel alibi versus Altare ad spatium unius Pater Noster orans, & si ibi aderit Præpositus, vel Vicarius, surgendi signum expectet: quo habito, statim surgat, & facta Sacramento genuflexione, eidem Superiori, aliisque de Choro profundè se inclinet, omnesque eum (præsertim si Sacerdos erit) denudato capite consulent, & postea

ipse ad suum locum se conferat; si vero nec Superior ibi, nec Vicarius aderit, brevi oratione præmissa, & nullo expectato signo surgat, & cum aliis in suo loco conveniat. Sic autem unusquisque ad suum locum accedat, ut si eum forte alium occupare videat, nè transeundo alios perturbet, tunc debet, vel expectando, vel modèstè, & devoutè incedendo, ità tempus commensurare, donec finiatur versiculus ab ea parte Chori, in qua ipsum esse contingat, & alii locum ipsi cedendo, inferius descendant. Ast si forte tunc dicetur versus *Gloria Patri*, aut conclusio hymni, in quo laudatur Sancta Trinitas, aut Confessio fieret generalis, vel quid simile, expectet inclinatus, do-

dic ipsa absolvantur. Si autem cerentur preces flexis genibus, genuflexus & ipse expectet: mox factis reverentiis, & salutationibus praedictis, ad suum se locum recipiat.

## N. V.

Proinde sine gravi necessitate, & licentia, & benedictione ejus, qui praest, a Choro antequam officia absolvantur, nemo egrediatur. Sed si quis de licentia abscedat, & postea ad Chorum revertatur, non genuflectat in medio, nec aliud surgendi signum expectet, sed factis Sacramento genuflexione, & Superiori reverentia, cum aliis in suo loco conveniat. Idem servetur, si tardus ad Chorum accessus non sit voluntarius; eò nimirum, quod circa Altaris,

aut Sacerdotis Ministerium fuit detentus.

## N. VI.

Porrò in communi Officium persolventes æquali voce, unisona, sonora, & sine flexionum, sonorumque varietate (nisi in aliqua Provincia diversa praxis inoleverit,) codem tempore, eademque moderata, ac devota tarditate omnes incipiunt, prosequantur, ac terminent versus, & uno Choro psallente, alter cum silentio, ac devotè auscultet. In medio versiculorum pausent aliquantulum plus, minusve spatii relinquendo, habita ratione dierum ferialium, festorumve uniformitatem insuper præcipue servent, adeo ut, idem faciant omnes, eodem ritu, attentè, devote, distinctè, ac reverenter di-

vino Servitio assistant, & cum alii stant, alii non sedeant, vel genuflectant, & e contra. Errata verò, quæ, dum officium persolvitur, quisquæ commiserit, tensione pectoris fateatur; si quæ autem graviuscula visa fuerint, eorum in Refectorio medio se palam accuset, ea ratione, quæ de culpis publicè confitendis, inferius disponetur.

### N. VII.

Ut autem regularis disciplina quam maximè in Choro præluceat, inviolabile silentium ibi observent, & eo decenti corporis situ coexstant, sicut decet Domum Dei, & Divinæ Majestatis intuitum, ac præsentiam. Nemo caput, oculosque huc illic curiosè torqueat, præcipue in eum, qui forte erraverit. Ne-

mo in tollendis, dimittendisque sedibus, aut transeundo strepitum, rumoremque faciat, nemo subselliis nimium iunitatur, nisi eum corporis imbecillitas cogat: nemo libros, litteras, aliave scripta ibi legat. Nemo denique, quod in Choro, vel circa Altare acturus sit, querat clamando, aut sibilando, sed solo nutu, aut alio levì signo utatur, omnisque vel tumultus, vel altercatio, quantilibet levis, semper vitetur. Singuli quoque actus in Choro, vel circa Altare placidè, modestè, devotè, ac reverenter fiant, & cum quadam libertate, promptitudine, & gratia, eo reverenti affectu, quo decet Dei Ministros, non artificio scilicet, affectione compositos, sed solius devotionis virtute devinctos.

## N. VIII.

Denique Cæmoniaæ Sacrae (quæ sanè ad divina Officia ritè celebranda attinent, quæque in libello de nostris ritibus habentur) exactè ab omnibus, concinè, ac devotè uniformi observantia exerceantur. Cum autem ex Constitutionum lege semel in mense omnibus professis una congregatis explicandæ erunt, nemo sit, qui abesse præsumat, nisi exceptis, quos Superior judicaverit hujusmodi Cæmonias probè callere; tuncque errata, pravique abusus emendentur, ritusque variantes concilientur.



## CAPUT IX.

*De Regulis communibus circa Ecclesiæ cultum, & sacram Supellecilem.*

## N. I.

Ut ea quæ Divini Numinis honorem promovere possunt, ritè semper exequi valeamus, Ecclesiarum cultui summo nobis studio vacandum esse intelligamus. Id enim maximè Regularium Status exposcit, Sanctorum exemplo, qui Domus Dei decori pia sollicitudine intendebant. Unde Nostri ab ipsomet Novitiatus tempore diligenter hoc spiritu imbuantur. Demus proinde operam, ut ea, quæ aliquam profanitatis speciem præse ferunt, vana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, &

D

id genus Xalia in Ecclesiis nostris nullomodo fiant; ita enim Dominus Dei Domus Orationis esse videri, & dici poterit, & debebit.

### N. II.

Præcipiè autem nobis incumbit, ut ibi existentes non solum interiori cordis munditia, verum externa etiam pietatis specie nos tanquam Dei Ministros exhibeamus. Quare, & si ubique, tum verò maximè in Ecclesiis, ubi spectaculum facti sumus Deo, & hominibus, opus est, ut amur sereno vultu, demissis oculis, sermone placido, gressuque sedato, ac modesto, quo fiet, ut & proximum ædificemus, & sacrarum rerum digni Ministri ostendamur. Omni quoque studio curemus, ut sacræ Aedes, parie-

tes, pavimentum, & quæ in ea sunt, Altaria, ac Supellex munditia, & decore splendeant, Sacerdotum etiam, & Altarium vestes, divinoque cultui dicata vasæ, atque id genus Ecclesiæ utensilia decenter serventur, & suo quæque loco aptè disposita collocentur.

### N. III.

Ea porro Sacra ornamenta, vestes, & vasa etiam auro, gemmis, aut alio modo ornata, & quælibet pretiosa libenter in Ecclesiis nostris ad majorem divini Numinis cultum admittimus, nec paupertati nostræ adversari declaramus.



## CAPUT X.

*De Regulis communibus circa  
Sacramentum Pœnitentiæ, &  
Eucharistiæ usum.*

## N. I.

**C**lerici omnes, & Laici singuli  
lis Dominicis, aliisque Fe-  
stis diebus primæ, & secundæ  
Classis, in Festis quoque Visi-  
tationis Beatissimæ Virginis (at-  
que pro Hispaniarum Provinciis  
in Festis etiam Beatæ Mariæ ad  
Nives, & Expectationis ipsius  
Deiparæ), atque in die B. P. N.  
Francisci Caracciolo, aliisque die-  
bus, in quibus ea fuerit consue-  
tudo (quam maximè commen-  
damus), Eucharistiam publice in  
Ecclesia sumant; Novitii vero,  
tum iis diebus, tum semel in-  
fra hebdomadam, eo Cœlesti ci-

bo reficiantur. Sacerdotes autem  
quotidiè sacrificent, & si inter-  
dum abstinere velint (quod ut ra-  
rissimè contingat optamus) absque  
Superioris licentia non abstineant.

## N. II.

Ad Sacrarium autem vocati  
statim accurant, & quæ pro omni-  
bus communiter fuerint parata in-  
dumenta Sacerdotalia, ea induant,  
neque alicui privata, vel propria  
unquam habere licebit. In cele-  
bratione autem, quò magis san-  
ctitas hujus Sacrificii super emi-  
net, eò diligentius intendere de-  
bent, ut maxima reverentia, &  
sanctitate illud perficiant; unde  
velocitatem nimiam in eo pror-  
sus devitent; hæc enim dissipatæ,  
& indevotæ mentis non sine  
scandalo indicia præfert, nec mi-  
nus quam ad semi-horæ circiter

spatium hujus Misterii célébratio  
excurrat. Ritus tandem Sacros  
uniformi observantia servent.

N. III.

Nemo item sive Clericus,  
sive Laicus ( nullius licet pec-  
cati mortalis conscius ) divinam  
Eucharistiam sumere audeat , ni-  
si confessione Sacramentali ante  
fuerit expiatus . Sacerdotes verò  
bis saltem in hebdomada confi-  
teri optamus . Timendum est e-  
nī Religiosis viris , ne contem-  
ptu levium culparum in gravio-  
res prolabantur . Quo circa in  
singulis quibusque domibus de-  
putentur a Superiore duo , aut  
plures Confessarii pro subditorum  
numero majori , vel minori , at-  
que ex iis , cui quisque voluerit ,  
confitebitur ; iis verò exceptis ,  
aliorum nemini liceat , nisi Su-

perior non leve in ob causam ali-  
cui id expressè concesserit ; Su-  
perior tamen ipse Sacerdoti cui-  
piam a se delecto confiteatur .

N. IV.

Singulis Professis nihilominus  
quater in anno , cum eis vi-  
debitur , peccata sua confiteri li-  
cebit cuilibet ex Nostris Sacer-  
dotibus , etiam si Sacerdos ille  
ex Deputatis non sit , dummodo  
sit ex actu approbatis ab aliquo  
Ordinario cujuscumque loci , vel  
saltem a Superiore . Hoc tamen  
de casibus reservatis non intel-  
ligatur , a quibus sine debita fa-  
cilitate absolvi non poterunt . No-  
vitiorum autem Confessiones so-  
lum excipiat ipsorum Magister .  
Superior nihilominus teneatur u-  
num , aut duos ex nostris ( ad  
illorum numerum ) semel in men-

se, quo voluerit die deputare pro eorum confessionibus excipiendis, quibus in diebus Novitiorum Magister ab eo munere omnino abstineat. Id ipsum præstetur in Novitiatis separatis. His autem exceptis casibus, minime nostris liceat Novitiorum confessiones excipere, nisi de ipsorum Magistri, & Superioris localis expresso consensu: huic insuper liceat, si ita expedire judicaverit, de Magistri ejusdem beneplacito unum, vel duos ex nostris pro Novitiorum exigentia deputare, apud quos sua peccata deponant.

## N. V.

Præterea in cubiculis, aut in aliis, quam in designatis a Superiori locis, non nisi Sacerdotum, & aliorum, qui ægritu-

dine, aliove impedimento detinentur, confessiones excipere licet. Clerici denique, & Fratres laici quotidie Sacerdoti Missam celebranti inserviant, vel eam saltem audire non prætermittant. Sacerdotes pariter, quibus diebus a Sacrificii celebrazione abstinuerint, eidem interesse non omittant.

## CAPUT XI.

*De Regulis communibus circa conscientiæ examen, atque alia ad vitæ contemplatiæ institutum pertinentia.*

## N. I.

**C**onscientiæ examen in Choro, vel in Ecclesia, prout Superiori placuerit, mane, & vespere octavam partem horæ non

excedens a nostris simul congregatis peragetur; mane quidem statim a prandio, vespere autem statim post cœnam. Verum Novitii, ubi primus Novitiatus conjunctus habetur, vespertinum examen absoluta cœna in eorum Oratorio persolvant. Eo autem tempore, quo singuli propriæ conscientiæ rationem a se ipsis exposunt, meminerint, gratias simul divinæ munificentiaæ pro alimonia agere, & pro illis præsertim benefactoribus, quos Capite VII. comimoravimus exorare. Inde verò non discedant quin unusquisque in laudem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti voce submissa singulatim recitet Antiphonam *O Sacrum Convivium.*

## N. II.

Quo insuper facilius in via

Domini progredi nostri valeant, Divinum verbum, quod audire filii Dei solemne est, nobis exhibeat oportet. Quo circa semel saltem in mense ad omnes Professos extra Novitiatum degentes, unà congregatos, spiritualis sermo, seu allocutio ad semi-horæ spatium a Superiore, vel ab alio, cum ipse commode id præstare nequeat, habeatur, quo Dei amor, atque in virtutibus profectus promoveatur, cæteris interea in silentio audientibus, illaque verba ad propriam salutem accipientibus. Nemo verò sit, qui sine justa causa, & sine Superioris licentia huic tam pio, utilique exercitio interesse omittat, aut qui illo inchoato, inde discedat. Novitiis autem hoc animæ pabulum

frequentius ab eorum Magistro præbeatur. Laicis præterea Sacerdos a Superiore designabitur, qui Catechismi, ac Regularum communium expositionem eis sedulo tradat, & eos in via Domini similiter instruat; si qui vero negligentes, aut ignavi reperti fuerint, vel qui salutaribus ejusmodi instructionibus accedere renuerint, res ad Superiorem pro opportuna correctione deferatur.

### N. III.

Præterea ut diligentiori studio sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram, experimento discatur, Clerici quoties ad Sacros Ordines promovendi sunt, & Novitii proximè ad annum probationis, atque ad solemnem professionem, omnes etiam, & singuli semel in anno exercitiis

spiritualibus per decem, vel octo saltem integros dies a vitæ actiæ exercitatione abducti, ac re-collesti, non mente solum, sed etiam corpore vacare teneantur, & quidem eo anni tempore a sæcularibus conversationibus magis semoto, a Superiore designando. Ipsa autem exercitia in communi, & secundum vigente morem (nullis interea exceptionibus a communi observantia locum habentibus) fieri volumus. Quoties verò contigerit, quempiam legitimè præpediri ad ejusmodi exercitia simul cum aliis peragenda, aliud ei Superior tempus præfigat, quo illum, ad ea, quæ prius facere non potuit, tunc demum adimplenda compellat; ea enim ad terrena quæque despicienda, & concupienda cælestia quam ma-

ximè proderunt . Studeant propterea Superiores omnes , ut hæc tam sancta institutio novo semper spiritu promota vigeat , ex qua semper Religioni Nostræ spiritus fluēta abs dubio promanabunt . Ipsi so tamen tempore , quo exercitiis spiritualibus nostri vacabunt , nec domo egrediantur , nec cum aliis , vel ipsis Religiosis loquuntur , nec ullis recreationibus , etiam quotidianis intersint , sed in meditationibus sanctis , & in deliciis lœtentur æternis .

## N. IV.

Ut vitæ etiam contemplati-  
væ omni alio modo omniq[ue] nisu  
vacemus , cavenda nobis est ad  
exteriora effusio : prospicientes ,  
nè forte ( ut Paulus inclamat )  
perfluanus . Quare nisi charitas ,  
& obedientia aliud exigant , ex-

ternis negotiis nequaquam impli-  
cemur ; iis vero cum vacamus ,  
meminisse juvabit , quod Divus  
Bernardus admonens ait : ubicum-  
que fueris , tuus esto ; noli te tra-  
dere , sed accommodare .

## N. V.

Spirituali denique Sacrorum  
Librarum lectioni ad breve sal-  
tem temporis spatium singulis ,  
vel alternis diebus , pio quisque  
studio vacare non omittat . Illa  
enim veluti solido cibo alitur ,  
& pinguescit oratio , viget de-  
votio , contemplatioque nutritur .  
Profanos verò Poetarum libros ,  
vei hujusmodi alios in cubiculis  
habere , aut legere nemo possit ,  
nisi de Superioris licentia , dum  
scilicet ex illis quid utiliter de-  
promere sit necesse .

## CAPUT XII.

*De Regulis communibus circa adus erga se ipsos, & ad invicem exercendos.*

## N. I.

**C**ommunes Regulas erga Deum servandas jam hucusque præscripsimus ; operæ inde pretium est , ut eas ulterius adjungamus , quibus erga nos , & ad invicem ordinamur , sic enim ad nostri finis consecutionem recta perfectionis semita incedemus .

## N. II.

In universum igitur nostræ Religionis viri , ut erga se ipsos , & ad invicem aptè se gerant , intelligent oportet , se dum in Dei militiam adscripti sunt , non ad commoditates , non ad ignaviam , aut otium , sed ad labo-

res , & sollicitudines esse vocatos , & in iis numerari , de quibus Apostolus ait : *Sollicitudine non pigri , spiritu ferventes* ; Ideoque unanimi consensione Religiosæ vitæ labores sic arripiant , ut mortifications , asperitatesque molestè non ferant , & quæ necessariò corpori indulgenda erunt , iis discreta moderatione utantur . Veruptamen ut erga se ipsos rigorem , sic erga alios benignitatem exerceant .

## N. III.

Vigili insuper zelo ferventes nihil in se ipsis admittant , quod non integrum , simplex , honestum , & commendabile sit ; nihil , quod a modestiæ frugalitatis , benignitatis , ac temperantiæ Regulis deflectat . Current potius sobriè , ac piè viventes , ut

in se ipsis Religiosi status dignitatem, ac decorum servent, coram aliis autem innocentiae exemplo studeant prælucere.

## N. IV.

Cæterum Regulæ, quibus magis in particulari erga nos ipsos ordinamur, ex sunt, quæ victum, vestitum, mortificationum exercitia, silentium, modestiam, charitatem fraternalm, & id genus alia spectant, eaque singillatim per sequentia capita præscribentur.

## CAPUT XIII.

*De Regulis communibus circa ea, quæ ad victum attinent.*

## N. I.

Cum omnium Nostrum in communi, & de communi vietus esse debeat, duplex mensa,

prima scilicet, & secunda in communi refectorio erit, ad quam, dato ultimo signo, omnes, lotis manibus, convenient, nec quisquam nisi justas ob causas, & de Superioris licentia à prima mensa abesse præsumat, iis tantum exceptis, qui in aliquo communi exercitio eo tempore sunt occupati, qui scilicet Missas celebrant, aut illis inserviunt, qui sacras confessiones auscultant, qui Ecclesiam custodiunt, & hujusmodi alii; omnes tamen, & singuli, qui primæ mensæ interesse non poterunt, ad secundam statim a signo dato accedant.

## N. II.

Ad primam autem convenientes, detecto capite, ordinate, modestè, & in silentio hinc, inde consistant, usque dum be-

neditio ad Nostri Ritualis præscriptum fiat, qua completa, in suo quiske loco cooperto capite sedeat. Tunc si Præpositus, vel Vicarius in refectorio aderit, qui mortificationem petere voluerit, vel culpam aliquam palam confiteri debeat, id quidem genibus flexis, & detecto capite in refectorio medio efficiat, antequam lector legere, & Ministri fercula deferre incipient. Impossitas autem poenitentias, & mortifications, si eæ in refectorii loco explendæ erunt, detecto capite compleat, & deinde iterum in medio genuflexus a Prælato surgendi signum expectet, quo habito ad suum locum se conferat.

## N. III.

Proinde, nemo sit, qui in

ipsa prima mensa, vel panem detegat, vel edendi initium sumat antequam signum a Præside detur, eo autem dato comedionem simul incipient, & piam lectionem in silentio, & attente auscultent, ut non solum corporis cibo, sed epulis salutaribus animæ etiam recreantur. Initio enim aliquid ex Sacra Scriptura legetur, Regularum deinde communium libellus, postmodum pius alter, ac devotus vernaculae linguae liber; si quæ vero in lectione irrepserint errata, ab eo, qui præest corrigantur.

## N. IV.

Sic autem una comedant, ut ab ipsa prima mensa, antequam eam omnes simul expleverint, nemo prorsus quocumque prætextu abscedat. Quod si ur-

gens aliqua ratio, vel necessitas, quæ differri non possit, quempiam prius egredi compellat, tunc is ab eo, qui præest, licentiam, & flexis genibus benedictionem exposcat. In fine tandem signo a Præside dato, simul omnes surgant, devotè ibidem hinc inde stantes, gratias de more agant, & lotis manibus in Chorum, vel in Ecclesiam, aut Oratorium cum modestia, & in silentio communiter abeant, & quod de conscientiæ examine est supra præscriptum, ibi expleant.

## N. V.

Jam verò quod ad secundam mensam attinet, ultra prædicta, antequam quisque sedeat, mensæ benedictionem submissa voce præmittat. Tunc si Superior,

vel alias antiquior, qui præsit in mensa jam sederit, genibus flexis benedictionem ab eo exposcat, & ad suum locum se recipiat. Expleta autem comedione, unusquisque surgat (non enim alios, ut in prima mensa expectare cogitur), & benedictionem flexis genibus a Superiore si adsit, vel ab alio antiquitate primo, si ibi fuerit, petat, gratias submissa voce agat, & inde discedens, lotis manibus Chorum, vel Ecclesiam, aut Oratorium ad conscientiæ examen, ad actusque alios mox præscriptos, peragendos audeat.

## N. VI.

Cæterum tam in prima, quam in secunda mensa, regularis modestiæ, ac temperantiæ decus effulgeat, & ideo oculos

a circumspectione, & linguam a locutione omnes cohibeant; silentium enim eo loco, etiam recreationis tempore a cunctis exactissimè observandum erit. Nulli præterea liceat ciborum ibi aliquid vel secum ferre, vel sibi ferendum curare, imo neque petere, quod sibi forte deesse contingat, ex iis, quæ aliis communiter deferuntur, & nec vinum, vel fructus, exceptis solum pane, & aqua; aliis tamen proximè assidens poterit, quæ deerunt a ministris submissa voce petere. Porrò si inchoata mensa Superior ad eam accedat, omnes aliquantulum assurgant, & reverentiam ei, capite inclinato, non tamen discooperto, exibeant. Lector etiam eo tempore assurgens a lectione cessabit,

bit, & postquam sedebit, eam prosequatur. Ulterius, si inter comedendum dabitur signum pro Salutatione Angelica, omnes a mensa retrahentes manus a comeditione cessabunt, & consuetam Salutationem cooperto capite recitabunt, comeditionem verò non resumant, nisi signo dato ab eo, qui mensæ præst.

## N. VII.

Mundities insuper in comedendo ita ab omnibus servetur, ut oris ablutiones vino, vel aqua, ut projiciantur, ne fiant; mappæ, & mappulæ non coinciduntur; aqua, & vinum in solis cyathis bibatur. Furcula quoque in comedendo adhibetur, & cum primum comedere quis desierit, micas ante se trahat ad mensæ extremitatem, & mappulam plicet.

## N. VIII.

Deinde extra communem mensam prandere nemo omnino poterit; ægrotis tamen exceptis, & etiam Concionatoribus in quadragesima quidem, toto illo temporis cursu, in aliis verò temporibus non nisi mane, si matutina, & non nisi vespere, si vespertina concio habeatur; si verò continuatis diebus, sicut in quadragesima, in aliis pariter extra quadragesimam temporibus concionabitur, illis ipsis diebus tum mane, tum vespere prandium in cubiculo sumere iisdem licebit, sicut etiam Lectori præsidenti, & Scholastico defendenti, cum solemnes disputationum actus habentur.

## N. IX.

In domibus sacerdotalibus, si-

ve intra urbem, sive in ejus Suburbiis, vel ruri degentium, nemo comedat, sed cum quis nostrum eos inviserit, emitatur dominum ad horam refectionis reverti; quod si id fieri nequeat, antequam domo discedat, edendi foris facultatem a Superiori petat, & habeat; si autem accidat, quod ægroti, quem aliquis nostrum visitaverit, adeò ingravescat infirmitas, ut eum penè spiritu extremo conflicantem, deserere non videatur æquum, hujusmodi legitimum impedimentum, Superiori (si fieri potest) quam primum nuntietur, ut ab eo comedendi, ac etiam (si opus fuerit) ibidem pernoctandi facultas fiat; sin minus, statim, ac dominum redibit, rem omnem Superiori aperiet. Idem dictum

sit, quando ab aliquo Episcopo, vel Nuntio, vel etiam Cardinali, aut a Dominis in ipsorum propriis Populis, sive insuper a viris Religiosis in eorum Monasteriis secum vesci coacti fuerimus, his enim solis, ad id, nos urgentibus, acquiescere posse decernimus.

## CAPUT XIV.

*De Regulis communibus circa ea,  
quæ ad vestitum, & alia, quæ  
ad corpus attinent.*

### N. I.

**A** ratione victus, ad vestitum nunc transeamus, qui sane in universum, cum Clerici simus, Clericalis erit, atque exterioribus non solum, sed interioribus etiam complebitur in-

dumentis. Exteriora autem tam pro Clericis, quam pro Laicis tunica, domestica toga, & pallium erunt. Pallio quidem foris exeuntes, domestica toga domi existentes utemur.

### N. II.

Quod attinet vero ad exterioris vestis materiam, cum non dedebeat minores Clericos paupertatem professos, vile, & rude, honestum tamen indumentum, exteriiores proinde nostrorum vestes ex panno parvi pretii, nigrique coloris erunt, atque ejusdem qualitatis per hymen, & aestatem. Nemo vero sit, qui aliquid circa hanc exterioris indumenti materiam innovare præsumat, præter id quod legibus sit præscriptum. Penes autem Capitulum Provinciale il-

lam determinare sit pro unius  
cujusque regionis conditione , se-  
mel tamen definita nequeat a-  
liud Provinciale Capitulum ab-  
que consensu Capituli Genera-  
lis aliam ejusmodi indumenti  
materiam designare .

## N. III.

Ad formam , quod attinet , ex-  
terior habitus simplex sit , mun-  
ditia sola decorus , & talis , qui  
semper moderationis , & pauper-  
tatis nos admoneat . Sacerdotes  
autem , Clerici , & Laici tala-  
rem gerant tunicam , & apertam  
ab infima solum pectoris parte ,  
ad usque collare , quæ fibulis al-  
ligabitur . Manicarum tunicæ ip-  
sius extrema latitudo prope ma-  
num in girum major , aut mi-  
nor non sit palmo uno cum di-  
midio .

N. IV.

Domestica vero toga tam  
pro Clericis , quam pro Laicis  
talaris erit , aperta quidem , &  
fibula in collaris subligata , ma-  
nicas autem eo modo , quo tu-  
nica habeat , quibus Clerici ad  
libitum brachia conuestire , vel  
eas gestare pendentes poterunt ,  
& præcinctam , vel non præcinctam  
ferre . Laici verò eam ,  
longam , & cingulo simul præcinctam  
ferant : hujus autem manicæ  
brachia induant , atque tribus di-  
gitis a cubito decurtatae sint , il-  
lius tamen collare erectum esse  
nolumus , sed supra tunicam ca-  
dens . Pallium verò sive clerico-  
rum , sive laicorum ad talum us-  
que protendatur .

## N. V.

Cingulo insuper coriaceo ni-

gri coloris unius in latitudine dīgitū tunicam ad corpus alligabimus, nulla ejus parte pendente: hujus enim usum familiarem fuisse ipsis Domini discipulis, Basiliī testimonio evincitur. Ad amīciendum caput biretis utantur Clerici in Crucis figuram formatis; Laici verò pileolo ex eodem tunicae panno confecto. Omnes tamen Clerici, ac Laici dum domo egrediuntur petasum gerant: foris denique, domique degentes Clerici inter se, Laici similiter quoad vestes exteriōres uniformitatem servent.

## N. VI.

Ulterius indumenta interio-  
ra talia sint, quæ honestatem  
simul, & paupertatem redoleant.  
Lineis subuculis, lineisque femo-  
ralibus, aliis etiam interioribus

indumentis e panno, lino, pelle, aut etiam ex gossipio confectis utemur omnes; habita verò ratione personarum, temporum, ac regionum; quæ autem ex pelle conficiuntur, pariter sint parvi pretii: subuculae præterea collare supra collare tunicae nequaquam extractum plicetur. Tibialia insuper nigri coloris ex lana, lino, aut gossipio fere-  
mus; calceis etiam fibulis tam-  
en non ligatis, utemur; chiro-  
tecas verò non nisi simplices,  
& solum iter agentibus permit-  
timus: Serici demum nihil sit apud nos.

## N. VII.

Præterea ad cubandum, le-  
ctis ( sine conopeo tamen, aut  
ornatu ) simplicibus utemur, non  
verò affabre, & curiose factis,

neque ad otium quidem, sed ad necessariam corporis quietem: antequam autem cubitum eant singuli Clerici, & Laici, Sacerdotes etiam primi generis vespere post conscientiae examen benedictionem flexis genibus a Superiori exposcant. In lectulo item nisi cum subucula, & decenter contectus nemo jaceat. Nemo etiam cubiculo egrediatur, nisi decenti vestitu ad praescriptam nobis formam amictus, & compitus.

## N. VIII.

Nemo insuper circumeat dominum nocte, quin deferat lumen; mane unusquisque lectum suum componat, & saltem bis, vel semel in hebdomada cubiculum verrat, ac sordes amoveat. Ad faciem, & manus abluendas, &

detergendas, catinum fictilem, ac rudem, & mappam lineam quisque habeat, peccinem quoque ligneum, aut osseum non tamen eburneum; odoratum vero saponem, speculum, & hujusmodi alia Religiosos nequam decere, nemo est, qui non intelligat.

## N. IX.

Ultimò, inter illa, quæ ad corpus attinent honestam animi remissionem, & recreationem locamus. Interdum enim expedit parva, & brevi laxatione animum oblectari, ut postmodum ad virtutum exercitia vegetior exurgat, dicente Gregorio: *Virtus dum indiscretè tenetur, amittitur, dum discretè intermittitur, plus tenetur.* Quotidie itaque statim post prandium,

& cœnam omnes simul in designatum locum conveniant, nec quispiam absit, aut inde discedat sine Superioris licentia, ibique ipsius arbitrio, etiam ad unius horæ spatium, modestè, ac religiose tempus transigant; foras etiam dilatandi animi causa de Superioris licentia bini egredi poterunt; Clericis, ac Novitiis hoc illis ad instructionis pro eis præscriptum concedi poterit. Tamen semel in communione Novitii, bis autem scholastici in hebdomada non intermissa quoad matutinum regulari observantia foras deambulent.

## N. X.

Aliquoties etiam in anno ad Superioris arbitrium ruri communis deambulatio, vel domi recreatio communis fiat, in qua

mutuis colloquiis, honestisque oblationibus animum levare licet, ita tamen ut scurrilitas, diacitas, & manuum licentia prorsus absint, eritque mensa tam mane, quam vespere aliquantulum liberalior. Verum dum foris communis deambulatio fiet semper aliqui domi maneant, qui sæcularibus acurrentibus præstos sint, qui & illorum confessiones excipere, qui infirmis opportuna officia præstare, & qui demum aliis munis obeundis incumbere valeant. Illud tamen cordi sit omnibus, ut in singulis quibusque recreationibus natura subsidium ita capiat, ut spiritus detrimentum non patiatur. *Caveamus, ajebat Sanctus Ambrosius, ne dum relaxare animum volumus, solvamus harmo-*

*niam, quasi concentum bonorum operum.*

## CAPUT XV.

*De Regulis communibus circa carnis mortificationem, ac penitentiarum usum.*

N. I.

**S**anctorum exemplo mortificationem Domini Jesu in corpore nostro circumferentes, ejus Crucem, & Passionem imitemur. Opus ergo est, ut jejunis, abstinentia, asperitate, penitentiarum usu, variisque mortificationum exercitiis corpus edomare consuescamus.

N. II.

Quare præter jejunia, quæ cunctis fidelibus Romana indicit Ecclesia, hæc alia a nostris ob-

servanda decernimus, videlicet jejunium Adventus Domini dum domi morabimur, jejunium feriæ sextæ per totum anni circulum ( nisi fuerit vigilia Epiphaniæ, aut pridie celebratum Festum Natalis Domini, vel pridie, aut die postero ex præcepto Ecclesiæ jejunandum ) secundæ, & tertiacæ feriæ ante Cineres, jejunium denique in vigiliis Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis, Præsentationis, Annuntiationis, Purificationis (& pro Hispaniarum Provinciis, etiam Expectationis, ac festi Sanctæ Mariæ ad Nives ), in vigiliis quoque Dedicationis S. Michaelis Archangeli, ac B. Patris Nostri Francisci Caracciolo.

N. III.

Quoties verò ex nostræ le-

gis præscripto jejunatur, jentaculum pro antiquo Nostri Ordinis ubique terrarum usu, ejusdem rationis quoad qualitatem esse debet, non verò quoad quantitatem, ac jentaculum jejunii Ecclesiastici; omnino tamen ab ovis, & lacticinis erit abstinentium, nisi ubi Religionis consuetudo aliter obtinuerit, aut nisi propter piscium penuriam, aliamve justam causam à Superiore locali dispensatum fuerit. Adventus verò tempore, rationabili de causa, quoad ova, & lacticia Superior Provincialis dispensare quidem poterit; qui denique a Medico declarantur erga esuriales cibos dispensati, ab observantia jejunii regularis non idèo exempti censeantur.

## N. IV.

Vespere insuper a carnium usu abstinere debemus, Dominicis exceptis diebus, duobus quoque feriis, quæ Pascha, Pentecostem, & Domini Nativitatem subsequuntur, Epiphania etiam atque ejusdem vigilia, & aliis demum primæ classis solemnitatibus. In Hispaniarum verò Provinciis, ubi singulis anni sabbathis, pro loci consuetudine, carnis vesci omnibus fidelibus permittitur, vespertina superius præscripta abstinentia, in abstinentiam iis sabbathis diebus, mane, & vespere commutatur; sed ubi præfata consuetudo non fuerit, vespertina eadem abstinentia exceptis solemnitatibus, ut supra in jejunium regulare eo die observandum similiter commutatur.

## N. V.

Ulterius, singulis diebus ( festis tamen ex Ecclesiæ præcepto exceptis ) unus ex Nostris per circulum ab omni alio abstinent cibo , solo pane vescatur , & sicutim aqua vel de Superioris licentia vino modico sedet , cilio cito aliis carnem vexet , & aliis se flagris cædat . Qui autem jejunabit , ex ea , quam sibi subtrahet cibi , potusque portione pauperem aliquem ad domus fores reficiat , ut fiat refectione pauperis abstinentia jejunantis : quem autem cibo aluerit , christiana doctrina imbuere studeat . Poterit tamen Superior , si ipsi ita videatur de rationabili causa jejunium solo pane , & aqua præscriptum in unicam comedionem commutare , vel in id scilicet

quod ferculum unum ex prandio relictum pauperi deferatur . In Collegiis verò circulares hæ pœnitentiæ non omnes singulis diebus , sed singulæ singulis diebus fient , quod etiam servetur in aliis nostris domibus , ubi congruus , sufficiensque Religiosorum numerus non fuerit .

## N. VI.

Ad hæc singulis sextis fe riis , ubique a nostris communis flagellatio fiat loco a Superiore destinato , cuius ritus , & formula in nostro habetur de ritibus libello . Quoties verò in feriam sextam primæ classis festivitates incident , Nativitatis Domini insuper , & Epiphaniæ vigiliæ , die s etiam Titularis propriæ Ecclesiæ , & Beati Patris Nostri Francisci Caracciolo , tunc in diem antecedentem communis hæc flagel-

latio retrotrahatur. Idem fiet quoties dicta flagellatio alicujus impedimenti causa, ipsa statuta die fieri nequeat. Sanctorum præterea exemplo etiam privatæ pœnitentiae usum amplectentes cohortamur omnes, ut (habita prius a Superiori, vel proprio Confessario licentia) quandoque se ipsos divexare non omittant; talisque usus a Superioribus promovendus sedulò erit; macerato enim impensis corpore, anima purius Deo vacabit.

## N. VII.

Denique ad mortificationis genera Sanctorum etiam antiqua illa institutio spectat de inobseruantiosis publicè confundendis, ac pœnitentiis injungendis, quæ sane nedum sub regularis vitæ disciplina continetur, sed etiam

ad proficiendum in ea maximè juvat. Inter nos ergo hæc culparum publica confessio ita instituatur, ut quoties quis negligenter aliquid fecerit, vel ex debito faciendum omiserit, aut quodvis aliud contra leges nostras excesserit, in Refectorio medio ad refectionis initium se palam flexis genibus clara voce coram omnibus accuset, & pœnam, quam ei Superior injunxit, spontè subeat. Illum etiam laudabilem morem valde probamus, atque amplectimur, mortificationum, scilicet eodem loco, & tempore flexis genibus petitionem, cui, ut libenter omnes incumbant, enixè hortamur. Sic enim fiet, ut dum corpus affligitur, anima, quo vivit, spiritu continuò exultet.

## CAPUT XVI.

*De Regulis communibus  
circa silentium.*

## N. I.

Magnum Religiosorum præsidium, ac Regularis disciplinæ arx tutissima silentii cultus semper extitit, quem ideo antiqui Patres inter potissima perfectionis præcepta posuere, eique summo studio inhæsere. Quare, ut tanti ponderis virtutem nos etiam affectu eodem prosequamur, nostris omnibus silentium indicimus; primo quidem his locis, nempe in Choro, Ecclesia, Sacrario, Bibliotheca, locis communibus, ante cubicula, in operibus communibus obeundis, in Refectorio; denique cum extra recreationis horas, ad ignem cau-

sa frigoris erit accedendum semper sileatur. Quod si necesse sit verbum aliquod proferre, voce submissa loquantur.

## N. II.

Licet silentii lex ubique servanda sit, strictius tamen his horis servetur, nimirum, vespere post recreationem serotinam signo dato ad Solis usque ortum sequentis diei, per totum anni cursum, item in æstate post prandium dato quietis signo ad orationem usque postmeridianam expletam; his itaque horis occasiones loquendi omnimodè præcidantur, & in cubiculis, vel in Ecclesia tunc temporis, qua par est, quiete, & devotione vacetur.

## N. III.

Reliquo autem diei tempore, quoties loqui oportebit, pau-

cis verbis res expedire carent. Longior enim sermo nisi de Superioris consensu semper vitandus erit; vocem autem elatam omni tempore devitantes, non alia quam submissa, humili, & audientibus attemperata loquuntur; confabulationes item, vaniloquia, & id genus alia semper ubique ab omnibus caveantur: dedecet enim Religiosum virum, cuius conversatio in Cælis esse debet, temporis vel minimum spatium humanis colloquiis sic frustra terere; sat quidem ad animi remissionem communis recreatio erit, quæ statis horis habenda præscribitur. Ne autem his involvamur vitiis, vitanda cuique erit per domum evagatio, vitanda quoque otiositas, quæ cellæ fastidium ingenerans,

animum ad confabulationes impellit. Superioris autem curæ sit, ejusmodi otiosos per domum evagantes, & inanes miscentes sermones, ac tempore abutentes, coercere.

#### N. IV.

Eapropter in alienum cubiculum vetatur ingressus, qui quidem silentii lege, & omni alia ratione sine Superioris licentia prohibitus intelligatur; verum ut quisque ingrediatur infirmi cubiculum sufficiat semel ( eadem ægritudine durante) licentiam habuisse, quod etiam de ingressu in concionatoris cubiculum eo tempore, quo in quadragesima, aliisve diebus concionem habebit, intelligatur, dummodo non plures, quam tres, aut quatuor simul ibi prædictis in casibus con-

veniant. In Superioris vero, & Vicarii cubiculo, ipsis præsentibus, cuique intrare licebit; ipsis tamen absentibus, minime.

## N. V.

Tandem silentii lex, hac etiam ratione inter Professos, & Novitios servanda præscribitur, ut qui Professi extra Novitiatum degunt nullo modo sine Magistri præsentia, & consensu cum illis colloquantur, aut cum eis etiam recreationis tempore conversentur, quamvis illi fuerint, qui ipsorum antea confessionem excepérint, vel ad eorum in Religionem ingressum bonam dederint operam, aut qui aliqua cum eis patriæ, vel sanguinis propinquitate sint conjuncti.



## CAPUT XVII.

*De Regulis communibus  
circa modestiam.*

## N. I.

Modestiae virtus, quæ præcipuo munere exterioris hominis compositionem dirigit, ejusque motus ordinate disponit, sic diligenti studio ab omnibus excolenda erit, ut in ea Religionis decus, & ornamentum effulgeat. Quare tum erga se ipsos, tum erga alios eam exacte servabunt. Erga se ipsos quidem ea ratione, ut omnes, qui affectionem, vel animi remissionem, aut etiam elationem præseferunt motus, aut in incessu, aut in gestu, aut in sessione, aut in locutione, aut demum in hujusmodi aliis, quam maxime

devitent; in publicis functionibus præsertim (in quibus Deo, & hominibus spectaculum fiunt) cavere debent, ne eorum vel gestus, vel motus talis sit, qui ædificationem apud omnes non pariat.

## N. II.

Erga alios autem sic quisque se gerat, ut nec dissolutio-ne, nec rusticitate eos offendat. Despectionis itaque actus, verbo-rum contentiones, actionum im-por-tunitates, vultus asperitas, & id genus alia absint a nostris; imo facilitate ad consentiendum aliis, comitate ad temperandum se omnibus, promptitudine ad se honore præveniendos præcel-lere pia æmulatione conentur; invicem sibi loco cedere, majo-ribus assurgere, obsequii signa-

eis exhibere, omni tempore consuescant. Reliqua ad urbanita-tem, & modestiam spectantia, non sunt hoc loco in particula-ri præscribenda: omnibus tamen incubit, ut quas novitiatus tem-pore didicerunt modestiæ regu-las, eas oblivioni non tradant, sed pari diligentia seruent.

## CAPUT XVIII.

*De Regulis communibus circa cha-  
ritatem fraternalm, & uni-  
formitatem servandam.*

## N. I.

**C**ommunis vivendi ratio, qua regulares viri unius moris in Dei Domo cohabitantes, unaque spe vocationis adducti, unum cor-pus efficiunt, uno tantum chari-tatis vinculo firma subsistit, quod

quidem vinculum ne aliquo modo dissolvatur, ea omnia quisque devitet, quæ vel minimam fratri molestiam parere possunt.

## N. II.

Quare, alios inter loquendum nemo carpat, aut quoquo modo lœdat, nemo alios de morum rusticitate coarguat, nemo etiam de alterius natione, & patria quidquam sinistre loquatur, aut aliquo modo id sentire significet, imo iis extraneæ nationis fratribus præcipua dilectionis signa exhibere quisque nitatur. Ne autem vel minima violandæ charitatis detur occasio, nemo in alterius officium se temere ingrat, nemo ex officinis sine consensu eorum, quorum curæ demandatae sunt, vel ex alterius cubiculo sine Superioris licentia

aliquid tollere possit, & si quis contrafecerit, a Superiore severe corripiatur.

## N. III.

Præterea Superioris auctoritatem in alios sibi sumere, aut eos objurgare nemini liceat, quin potius unanimi consensu aliis inferiores se invicem arbitrantes, invicem sibi obsequia præstent, invicem se orationibus adjuvent, ac vicissim alterius Minister effici quisque nitatur, Christi Domini exemplo, qui de se ipso ait: *Veni ministrare, & non ministrari*. Fraternæ tamen correctiōnis jura, quo par est, charitatis ordine adimplere non omittant.

## N. IV.

Tandem cum uniformitate vigeat charitas, & per eam strictius copulemur, enitendum no-

bis erit, ut sollicite servemus unitatem spiritus in vinculo pacis, adeo ut quoad ejus fieri poterit juxta Apostoli monitum, idem sentiamus, idem sapiamus omnes, ejusdem moris simus, & videamur unanimes. Ea propter in choro, in mensa, victu, vestitu, cubiculis, doctrina, & hujusmodi aliis diversitas prorsus vitetur, & personarum acceptio caveatur: uniformitas etiam, & æqualitas in eo elucescat, ut communia exercitia communiter actitentur, quamvis habenda sit valetudinis, ætatis, atque officiorum ratio, quæ Superioris prudentiæ, & discretioni relinquuntur, qui exakte hoc onus obire debet.



## CAPUT XIX.

*De Regulis communibus circa charitatis munus erga infirmos, & defundos fratres.*

### N. I.

Inter præcipua charitatis munia, quibus invicem copulati, invicem sublevamur, præcelens merito commendatur illud, quod infirmis, & defunctis exhibetur: id igitur oportet, ut nos inter ferventi studio exerceatur.

### N. II.

Ad infirmos autem quod attinet, sic eorum curationi intendatur, ut vere pateat, charitatem ipsam hoc ministerio fungi: pia idcirco æmulatione contendentes, ægrotum quemlibet, sive Sacerdos, sive Clericus, sive Laius fuerit, quo poterit quisque

modo adjuvare, præcipue apud Deum precibus, conetur, eique, quando opus erit, inservire. Ad eum tamen invisendum non plures, tribus (exceptis infirmario, & sociis) convenient, ibique longiorem quam par est, sermonem ne protrahant, aut inutilia verba fundant, sed solummodo ea proferant, quæ ægrotum in Domino consolentur.

N. III.  
Superiori autem maxime invigilare incumbet, ut infirmi cum charitate tractentur, & quotidie, vel alternis saltem diebus ipse eos inviset; moneat quoque, ut initio morbi sacramentaliter confiteantur; curet insuper, ut pro illis quotidie a nobis orationes fiant; caveatque ne se parcum in expensis exhibeat, in quibus

potius effusa charitate largum se præstare debet, etiam si dare pignori aliquid necesse foret, vel quovis alio modo cum dispendio prævidere: sed & Vicario præsertim curæ sit quotidie intendere, an quidquam desit infirmis, & an recte suum infirmarius obeat munus. Postremò si naturalibus balneis, vel aeris, locisque mutatione ægrotus de Medici sententia indigere videatur, id quidem de Provincialis licentia concedatur, qua habita, bene comitatus, profiscatur. Verum urgente necessitate localis Superioris de consultorum voto licentiam dabit, & inde Provincialis certior fiat.

N. IV.

Ægroti autem partes erunt, infirmitatis onus patienter ferre,

Infirmario, & Medico libenter obedire, sui ipsius curam Superiori, ejusque Ministris tradere, a querelis animum cohibere, & intima cordis resignatione infirmitatem, non minus, quam sanitatem Dei donum aestimare; caveat, ne quid ad sui curationem tentet, aut Medicum, inscio Superiore, atque Infirmario, vocet, sed huic potius statim suam indicare teneatur infirmitatem; ut Medicus advocetur, atque ejus curationi debito charitatis ordine intendatur; qui sane Medicus communis erit omnibus, a Superiore diligendus, nec alias sine ejus licentia adhibendus erit.

## N. V.

Ægrotus præterea saltem ostovo quoque die sanctissimo Eucharistiæ Cibo, ei pio, ac reli-

gioso cultu deferendo, reficiatur. Ingravescente autem ægritudine sedulo curandum, ut Sacramenta ei provide, & antequam judicii usum amittat, ministrentur. Tum vero ægrotum morbo conflictantem Superior, & Infirmarius, aliique Religiosi vicissim pie, ac leniter ad tolerantiam, & Crucifixi imitationem, & ad Cœlestium rerum desiderium adhortentur. Ad eum prostremo spiritu fatiscentem, signo dato, omnes convenientes, piis alii monitis contra insurgentes tentationes eum roborent, aliique Psalmis, & Orationibus ei subvenire studeant.

## N. VI.

Quoniam autem vera charitas nunquam excidit, idcirco si viventes fratres opere, & vir-

tute diligere præcipimur, æquum est, ut in eosdem, etiam vita funtos dilectionem exhibere nusquam cessemus. Quare eodem perseverante charitatis affectu præter suffragia, quæ publice, & communiter in Choro, & Ecclesia exhibenda erunt, singuli Sacerdotes in eadem domo, ubi infirmus obierit, commorantes, pro eo defuncto Missæ Sacrificium sex vicibus offerant. Generalis autem consultationis sit aliter providere, quoties id exigere videatur alicujus ex nostris Provinciis æqua ratio: singuli Clerici sexies officium integrum Defunctorum recitent, singuli item Laici sex Beatæ Virginis Coronas, præter tertiam Rosarii partem, quam quotidie recitare tenentur, quamque per sex ab o-

bitu dies in defuncti suffragium applicare debebunt. Id ipsum fiet in omnibus, & singulis Nostri Ordinis Domibus pro Patre Generali, & in unaquaque Provincia pro suo Provinciali, ac pro iis Patribus Gubernii Generalis ad illam Provinciam pertinentibus, licet non ibi supremum suum expleverint diem.

#### N. VII.

Pro iisdem rursus Patribus Consultationis Generalis, & pro Patribus ex-Generalibus defunctis præter statuta jam communia suffragia singuli universæ Nostræ Religionis Sacerdotes semel Missam celebrent, singuli Clerici integrum unum defunctorum Officium; singuli demum Laici Beatæ Virginis Coronam semel recitent. Inter Provincias autem

Romanam, & utriusque Siciliæ, & similiter inter Hispaniarum Provincias mutuo charitatis officio præter communia respective suffragia, una Missa cantetur in singulis Provinciæ domibus, pro quolibet ex Nostris alterius Provinciæ, qui diem suum ultimum explevit. Si quis tamen iter agendo moriatur ea domus, pro cuius rebus agendis profectus erat, vel si pro alicuius domus utilitate non fuerit iter arreptum, ea altera domus cui assignatus eo tempore erit, in illius Animaë suffragium Officium, Missasque persolvat, ac si ibi e vita migrasset.

### N. VIII.

Sed & Religiosorum obitus in particulari libro scribatur, cæterisque ejusdem Provinciæ Domi-

bus nuncietur, in quarum unaquaque integrum Defunctorum Officium in Choro, Missa etiam solemnis, & preces juxta ritualis nostri præscriptionem persolvantur. Tum etiam Sacerdotes singuli ejusdem Provinciæ pro ejus Anima sexies sacrificent, nisi Generali Consultationi, ut supra diximus, aliter videatur; sexies Officium Defunctorum integrum Clerici recitent, & sexies Laici Beatae Virginis Coronam.

### N. IX.

Aliis insuper suffragiis nostros defunctos ut prosequamur, completae Charitatis affectus jure exposcit. Ideoque singulis mensibus in singulis nostris Domibus, & Collegiis defunctorum Officium cum uno tantum nocturno in Choro communiter di-

catur, & Missa cantetur pro iis omnibus, ac benefactoribus nostris similiter defunctis. Sacerdotes insuper semel pro iisdem sacrificent; semel Clerici officium Defunctorum, & Laici Coronam Beatae Virginis recitent: Singulis præterea annis tertio nonas Novembbris pro omnibus in universum, qui ex nostris evita migrarunt, officium integrum solemne in Choro, Missa item Solemnis, precesque ad laudati libelli præscriptum in qualibet nostra Domo, & Collegio peragantur.

## N. X.

Eodem denique Charitatis affectu, in obitu Romani Summi Pontificis in Universa Religione Nostra integrum in Choro defunctorum Officium, Missa etiam

Solemnis, & ad Tumulum preces persolvantur. Id ipsum fiat in ea Civitate, ubi ejusdem Episcopus obierit. Pro Regibus autem similia suffragia fiant in nostris eorum ditionis Domibus, & Collegiis, atque in Nostra Sancti Laurentii in Lucina Romana Domo, quod Ordinaria Gubernii Generalis residentia sit.

## CAPUT XX.

*De Regulis communibus circa rationem Domo egrediendi iter agendi, ac Nostros hospites excipiendi.*

## N. I.

**U**na statuendo erit in singulis nostris domibus janua, per quam solum omnes, quando opus erit egrediantur.

Pro ea Janitor vir charitate, modestia, morumque integritate, maxime conspicuus deputabitur. In magnis vero Domibus duo Janitores designentur, unus qui prope januam, alter qui Religiosos cum opus fuerit adeat, aut vocet. Semper tamen janua clausa erit, solumque pro alicujus ingressu, aut egressu aperienda, & clave unica obseretur, quæ interdiu apud Janitorem sit, nocte, Superiori consignanda. Tintinabulum etiam ad Janitorem convocabandum, tabella sit, item in qua Religiosorum nomina descripta habeantur, signumque, quo cuilibet innotescat, an egressi fuerint nec ne?

## N. II.

Nemini sine causa, & sine Superioris licentia singulis vici-

bus impetranda, ac sine Comite a Superiore designato egredi licet. Fratres tamen Laici ( si sic Superiori videbitur ) incomitati egredi poterunt, praeter quam cum ad eleemosynas petendas mituntur. Insuper antequam exeat quisque sive Laicus, sive Clericus, sive etiam Sacerdos flexis genibus a Superiore in quavis parte Domus is extiterit benedictionem petat, nisi in Ecclesia fuerit, ubi licentiam petisse sat erit; eidem etiam quid quisque foris acturus sit, & quo iturus significet, nisi aliunde ei notum fuerit. Porro absente Superiori nemini detur egrediendi facultas, quam Superior ipse ante non concesserit. Si necessitas contra postulaverit, dari quidem poterit ab eo, qui Superioris lo-

co præest; res tamen Superiori  
redeunti palam fiat.

## N. III.

Qui domo egreditur pallio  
sit indutus, & in designato lo-  
co prope illius januam brevi ad  
Deum Oratione præmissa inver-  
tat sui nominis tabellam, idem-  
que faciat Comes ei assignatus.  
Domo autem egressi, æquum est,  
ut in incessu ambo modestiam,  
& sensuum custodiam servent,  
atque una semper incedant, fe-  
stinationem, celeremque motum,  
brachiorum ventilationem, im-  
modestosve alios actus devitent.  
Cum domum redierint, Oratio-  
ne, ut supra etiam facta, bene-  
dictionem a Superiori pari modo  
petant, & si quid novi in via  
contigerit, quod ante quam exi-  
rent significatum, aut ei notum

ron fuerit significare non omit-  
tant.

## N. IV.

Jam vero nemini nostrum,  
quamquam invitato, rheda per Ur-  
bem vehi unquam liceat, nisi a Su-  
periore facultas fiat, quæ tamen  
sine gravi ratione non conceda-  
tur. Cum vero acciderit, quem-  
piam nostrum a Sanctæ Roma-  
næ Ecclesiæ Cardinalibus, aut  
Sedis Apostolicæ Nuntiis, sive  
a proprio Civitatis Episcopo ad  
id invitari, tunc ubi excusatio-  
nis locus non fuerit, eorum vo-  
luntati obsequi liceat,

## N. V.

Denique nocte exeundi ne-  
mini detur licentia, nisi gravis  
urgeat proximi necessitas; extra  
Domum etiam in eadem Civita-  
te pernoctare, nisi urgente pa-

riter necessitate, & cum Superioris licentia nemo omnino poterit. Nemo insuper sine eadem Superioris facultate, ad Constitutionis præscriptum concedenda, ruri nostro pernoctet, & etiamsi ægrotum aliquem ex nostris ruri, vel alibi commorantem quis invisendum adierit, ibidem pernoctare nequaquam debbit, sed domum vesperi reverti, nisi loci longinquitas id prohibeat, in quo tamen casu habeatur ante discessum ibi pernoctandi facultas.

## N. VI.

Ad iter agendi rationem quod attinet, nemo in aliam civitatem, vel locum eat, in quo opus sit pernoctare, absque Provincialis facultate; urgente tamen necessitate de Superioris lo-

calis, & Consultorum, ac etiam Visitationis tempore de Visitatorum licentia proficisci poterit, tuncque Pater Provincialis fiat certior. Cæterum ex una Provincia in aliam commigrandi, ut quis ibi velut assignatus vivat, facultas a solo Generali fiat, prævia tamen utriusque Provincialis notitia, illæsa quoad hoc semper manente supraemam Patris Generalis facultate. Denique Pater Generalis se solo, nisi ab aliquo Religioso in scriptis manu propria requisitus fuerit, cum in longinquam ultra montes regionem mittere non valeat, quoties tamen suæ Consultationis voto, & consensu id jubeat, se quisque ad obediendum paratissimum prodat, iterque urripiat.

## N. VII.

Nemo præterea longiori viæ absque sui Provincialis dimissoriis litteris ejus subscriptione, & Religionis sigillo munitis se committere audeat, quas, si per aliquam domum ex nostris transierit, illius domus Superiori ostendat; dum verò ad aliam commigraverit ipsas met Superiori tradat: idem faciat etiam si eis utendi dimissoriis litteris nulla extiterit occasio: sine illis tamen, si quis quoquam perrexerit, graviter puniatur. Ad Urbem tamen sine præmissa P. Generalis licentia sub poenis in Constitutionibus Nostris, & Apostolicis præscriptis, nemo accedere valeat.

## N. VIII.

Præterea sine Superioris licentia nemo secum quidquam

deferat, nec etiam lioros ad suum concessos. Si verò ad publicam domus bibliothecam pertineant, ferre eos secum nequibit, nisi eorum numerus, tituli, & domus nomen, a qua amoventur distinctè notatum fuerit, ut facile recuperentur; sine Capituli tamen licentia nec hujusmodi libri adsportentur. Nihilominus Breviarium, Diurnum, Biblia Sacra, asceticum librum, & propria scripta poterit quisque secum ferre absque ulla licentia.

## N. IX.

Ad hæc: peregre profecturus, post recitatum Clericorum itinerarium, ducatur ad januam domus, & cum benevolentia, & charitate dimittatur. Si fieri poterit solus nemo abeat, sed cum comite ex Nostris, aut ex Sæ-

cularibus probatæ vitæ viro. Recta autem via, quo tendit quisque pergit, diverticula sive moras in itinere non faciat.

## X.

In itinere ipso, vel eo perfecto cum ad eam civitatem advenerit, in qua domicilium habemus, omnino caveat, ne in alia, sive Sæcularium, sive Religiosorum domo, aut quo vis alio loco se recipiat, multo minus pernoctet, aut comedat, sed recto tramite ad nostram domum se conferat, ejusque loci Præposito se in omnibus subdat. Verum nemo sit, qui ali cui ex nostris præter quam Patri Generali, aut Provinciali ob viam eat.

## N. XI.

Erga tandem venientes de

longo itinere Fratres omnia humanitatis, & benevolentiae officia exerceamus. Quo circa ubi primum alicujus nostrum adventus per janitorem innotuerit, isti qui peregre advenerit cum charitate excipiatur, ad Cellam ducatur, & si quid ei opus fuerit, ei exhibetur, & humanissime pertractetur, sive ut hospes sive, ut ei domui assignatus advenerit; per triduum (& si longius fuerit iter, per octo dies) ad domus onera subeunda ne deputetur; imo ei per illud ipsum tempus ad cibos communes alii adjungantur. Caveat autem ne quæ sunt observanda negligat, ne silentium violet, & ne detrahatur de absentibus. Post illud verò spatium communis mensa sit ei satis, & licet ut hospes venerit, Chorum tamen

adeat, Religionis Regulas, in ea domo servet, & alia onera subeat. Quæ autem negotia ibi tractaturus sit, ea non nisi de ejus locis Superioris licentia gerere valeat, nisi aliter Pater Generalis, aut Provincialis disposuerit; omnino quoque ab illo egrediendi licentiam, benedictionem, & comitem petere teneatur.

## CAPUT XXI.

*De Regulis communibus circa rationem communicationis habendæ per litteras.*

### N. I.

**U**t litterarum commercia a recto Regularis disciplinæ tramite non deflectant, nemo sit, qui eas alicui, sive Religioso, sive Sæculari scribere, vel a quo-

quam undelibet datas legere, imo nec accipere, aut resignare ullo pacto inscio Superiore audeat, qui si velit, se solo leget, & probet; rationem vero ipse habeat Patrum antiquorum, & eorum qui probatæ sunt vitæ, aut qui gravia negotia pertractant.

### N. II.

Licebit tamen cuique ex nostris, sex mensibus ante celebrationem Capituli Generalis, & ante celebrationem Capituli Provincialis ejus Provinciæ Religiosis, atque tempore celebrationis ipsorum litteras dare ad quemlibet ex Patribus Capituli, atque Patribus ipsis rescribere, vel ad se scriptas accipere, quin Superior ipsas legere valeat.

### N. III.

Nulli Superiori immediato

legere, aperire, impedire, aut retardare liceat litteras ad mediatos Superiores scriptas, & etiam eas, quæ ad quempiam respectivè ex Gubernii Generalis, aut Provincialiis Patribus pertineant, vel ab iis ad alios scriptas. Cæterum in ipsis litteris ad Superiores mediatos datis, si secretum aliquod continetur, quod Subditus, qui scribit cupiat aliis non communicari, exterius in fronte hoc verbum *Soli* adjiciat. Cum vero Superior aliquis ad suum Subditum, vel aliquis ex Patribus, de quibus supra, ad alios scripserit, propria sua manu superscribat nomen suum, ita enim quis, & ad quem litteræ scriptæ sunt, prima litterarum fronte patet.

## N. IV.

In omnibus præterea nostrorum litteris formulæ quædam, locutiones, figuræ, & cæremoniæ sæcularium potius morem præseferentes non miscerantur, inutilia, inania, & quæ affectationem sapiunt, omnino videntur, & non solum in eo, quod scribitur, sed in modo ipso scribendi Religiosæ modestiæ decus effulgeat. In litteris verò, quæ ad Patrem Generalem, vel ejus Consultationem, sive insuper ad Præsidem Capituli Generalis scribentur, post hæc verba: *Jesus, Maria, intus in litterarum fronte apponenda, hic etiam titulus reverentialis addatur, videlicet: Reverendissime Pater Noster, vel Reverendissimi Patres, easque simili modò subscribe-*

re oportebit, scilicet *Paternitatis Vestræ* Reverendissimæ Servus, & Filius in Domino N. N. Clericorum Regularium Minorum; eas demum ita superscribant Reverendissimo Patri Nostro Patri N. N. Generali Clericorum Regularium Minorum, vel Vicario Generali, vel Capituli Generalis Præsidi, sive Reverendissimis Patribus Consultationis Generalis. Ex Generalibus verò Paternitatis admodum Reverendæ Titulus a Nostris præstetur; atque iisdem Reverentiæ Titulis, quibus scribendo, alloquendo etiam uti Nostrri debebunt. Provincialibus autem suæ Provinciæ Religiosi in filialis amoris, & reverentiæ signum voce, & scripto Titulum Reverendi Patris Nostri præstabunt.

## N. V.

Cæterum in aliis litteris, quæ ad quoscumque alias ex Nostris sive Subditos, sive Superiores scribentur nullus in principio, aut in subscriptione addatur titulus, sed simplex exprimatur nomen, & cognomen hoc modo: N. N. Clericorum Regularium Minorum. In superscriptione pariter simplex dumtaxat nomen, & cognomen Religiosi, ad quem litteræ dantur, conscribantur absque ullo sive dignitatis, sive officii cujuscumque titulo, præter quam in litteris, quæ ad Provinciales, Præpositos, Vice-præpositos, Assistentes Generales, vel Provinciales, Procuratorem Generalem, ac Secretarium Generalem, vel Provincialem, nec non ad Visitatores

scribentur, in quibus solummodo simplicem Officii titulum libebit adnectere hoc modo: Patri N. N. Clericorum Regularium Minorum Assistenti Generali, aut Provinciali N. N. & sic de singulis.

### N. VI.

Eos tamen ipsos tam in scribendo, quam in loquendo *Reverentiæ* solum titulo honorabimus; simplicibus autem Clericis, & Laicis peculiaris titulus non præstetur, sed eorum insigne, *Fraterr* erit; Sacerdotis vero Professi: *Pater*; in universum vero, nemini honorifico illo prænomine *Don*: , aut sigillo propriæ Familiæ insignibus sculpto uti libebit. Sigillum enim non aliud apud nos quam commune totius Religionis, & penes Superiores

tantum, Procuratores, ac Secretarios cuiuslibet Gubernii erit, non vero penes alios:

### CAPUT XXII.

*De Regulis communibus circa ea, quæ erga Superiores, Religionem, & ejus statuta sunt gerenda in universum.*

#### N. I.

**P**erfectionis iter divina comitante gratia prosequentes, praeter ea, quibus erga Deum, & erga nosmetipos ordinamur, opus est ea præscribere, quibus erga Superiores, Religionem, & ejus statuta dirigamur; sic enim decet nos implere omnem justitiam.

#### N. II.

Quare in universum sic nos gerere oportebit, ut Superiorem,

uti Patrem, Religionem velut Matrem, leges, & statuta velut nostram in terris hæreditatem habeamus. Quæ autem in particuli erga singula ipsa exhibere debemus, per sequentia capita præscribentur. Curent itaque omnes ea exactissimè observare, intelligentque totius Religionis robur omnino languescere, si hæc semel stabilita non firmiter serventur.

## CAPUT XXIII.

*De Regulis communibus circa actus erga Superiores exercendos.*

### N. I.

**H**is prætermisis, quæ de obedientia inter solemnia vota supra præscripsimus, primò hic quidem alii dependentiæ actus se

offerunt, quos sane ad tria capita revocamus. Nimirum ad benedictiones, ad licentias, & ad signa. Omnino enim multa erunt, quæ sine Superioris, vel benedictione, vel licentia, vel signo agi non poterunt, & ea omnia in particulari suis quoque locis statuuntur. Hic verò in universum decernimus, ut benedictiones semper flexis genibus petamus, præter quam cum novum aliquid utendum accipimus. Licentiæ autem non extorqueantur, nam extorta, aut coacta licentia (ut Bernardus docet) licentia non est, sed violentia: signa demum, quæ fuerint præscripta, omnes expectent.

### N. II.

Sed ulterius venerationis ac reverentiæ actus prosequentes,

cavendum primò cuique erit, nè aliquo modo cum Superiore contendat, quæ horrenda prorsus, & execranda est irreverentia turpitudo. Immo si quis a Superiori objurgatur, statim genuflexus, demissis oculis, & tacens se corrigi sinat, nec surgat donec ab eo surgendi signum accipiat. Quod si ab ipso tunc temporis interrogetur, sic se gerat, ut responsio humilitatem, & reverentiam, ut par est, redoleat.

### N. III.

Proinde qui Sacerdos secundi gradus non fuerit, detecto omnino capite, loquatur cum Superiore, nec se cooperiat, vel eo præsente sedeat non expectato signo. Sed & omnes cum obviam eis quivis Superior occur-

rit, vel ipse eos aderit, assurgent, consistant, & reverentiam ei capitis inclinatione exhibeant.

### N. IV.

Quæ tamen omnia, & id genus alia ad reverentiam spectantia, ut facilius serventur, studeant singuli in Superiore, Religionis intuitu, Christum Dominum (cujus ille obtinet vices) conspicere, & erga eum sic se gerere, ut veluti Christo obsequentes reverentiali timore pariter, & amore ei subjaceant, atque actus omnes, qui vel minimam irreverentiam sapiunt, omni diligentia vitent. Ipsius autem actiones, vel dicta judicare, verbis, signis, aut factis eum contemnere, eique detrahere, vitia sunt, quorum quidem, vel ipsa species meritò execrandā erit.

Et profectò boni Religiosi partes erunt sui Superioris , quos forte aspexerit defectus , reverenti charitatis affectu sub velamine contectos ab aliorum oculis subtrahere , eosque potius ad ejus virtutes inspiciendas attrahere curet .

N. V.

Ad hæc sicut Superiori reverentia debetur & obsequium , ita erga ipsum , ut Patrem , filialis habeatur fiducia . Quare quisque fidenter agens ad eum in omni , qua premitur corporis , aut animi molestia lubens confugiat , eique sui cordis sensus libenter aperiat . Semper tamen indifferens eo propendere sit paratus , quo Superioris judicium , & voluntas inclinant , & quæ dixerit , tanquam Dei voce proleta resignatus suscipiat . Dei enim

loco nobis præest Superior , & divinæ est voluntatis interpres ; adeo ut qui eum audit , Deum audiatur . Hinc si quæ ab eo petiit , illi denegata fuerint , a majori Superiori eadem ne petat , nisi prius illi alterius denegationem patefecerit . Illud denique præcipue Superioribus Nostris debemus , ut scilicet pro ipsis peculiares singulis diebus ad Deum preces fundamus , quatenus dignetur Dominus Spiritu Principali eos in bono regimine confirmare .

## CAPUT XXIV.

*De Regulis communibus circa actus erga Religionem .*

N. I.

R eligionem eo quisque proseequi , & amplecti debet af-

fectu, quo solet filius matrem, a qua se multis ali curis perpendat, unde ei fide inviolabili adhærere, in ejus professione conquiescere, ejus incrementa appetere, ejusque omne bonum promovere debita sunt, quæ ab omnibus, ut persolvantur, filialis exigit amor.

## N. II.

Proinde nomen ejus, & fama, ut quotidie celebrius invalescant enitendum erit. Itaque defectus, errores, & mala quælibet, quibus forte Religionem nostram intus aliquo modo maculari contingat, sic tacitus quisque silentio involvat, ut foras ad externorum aures pervehi, ne minima quidem ratione queant. Et profectò Religionis acerrimus inimicus, & destructor

esset, ac ut talis gravissimè puniendus, qui ejus maculas aliis patefacere non erubesceret.

## N. III.

Jam verò quamvis Religioni nostræ omnia amoris jura persolvere teneamur, nemo tamen gratiam aliquam, vel privilegium ad ejus licet commoda spectans Romæ, aut alibi a quocumque impetrare invitatis, vel insciis Generali, ejusque Assistentibus præsumat, & qui secus fecerit graviter eorum arbitrio puniatur, quod nec ipsis Procuratoribus Provinciali, & Generali, aut ipsis Superioribus Provinciali, & Generali, sine Generalis Consultationis voto, & facultate sub præstito ex legis præscripto juramento licebit; quod etiam in sui, aut in aliorum favorem pro-

hibitum intelligatur. Nemo insuper ex nostris sub eadem poena possit gratiam, aut privilegium, sive quocumque aliud officium, aut munus, vel a se, vel ab alio sibi procuratum, dicta Consultatione non requisita, & consentiente, acceptare.

## CAPUT XXV.

*De Regulis communibus circa aëtus erga leges, & statuta.*

### N. I.

R eligionis leges quocumque, sive Constitutionum, sive Regularum, sive Rituum, sive quovis alio vocentur nomine, sic omnes amplectantur, ut tanquam a Deo præscriptas quisque in cordis medio reponat, omnimoda in eis complacentia conquie-

scens. Nemo autem sit, qui contra illarum aliquam sive verbis, sive signis, aut quovis alio modo agere paratum se esse ostendat; & præsertim caveat unusquisque, nè iis, quæ a Capitulo Generali sancita fuerint, repugnare, aut contradicere audeat, sed rata, firmaque apud omnes per ordinem universum habeantur; qui contrafecerit, aut oblocutus fuerit, gravissimè puniatur; & pro comperto habeant, Diabolum, quo Religiosos viros ad summam calamitatem pertrahere obtineat, conatu præcipuoniti in eorum cordibus displicentiæ contra Religionem, ac leges serere spinas.

### N. II.

Cæterum illud quam maximè cavendum, ne legibus fun-

data Religio , legibus corruat ; quod sanè tunc accidit , quando debita earum custodia , vel omnimodo deest , vel nutat , aut vacillat . Quare sedulò current , omnes sic eas plena observantia retinere , ut non faciles , aut leves sint , ubi se occasio tulerit , ad inobedientias prolabi . Quocirca Superiorum vigilantia hic adsit , oportet , qui certè ubi subditi moniti suaviter in legum observatione permanere neglexerint , eos correctionum , vel poenitentiarum usu sub disciplina coerceant . Etiam seniores ipsi continendi erunt , quando id postulabit occasio .

### N. III.

Nec tamen quis putet in aliquo sibi detrahi , si inobedientiae , quas patravit , publicis pœnitentiis , & correctionibus diluan-

tur . Caveant insuper , ne rigorem existiment , rigidosve putent Superiores eo quod exactam petant legum adimpletionem , & in ea urgenda veluti conspirent , imo ipsorum voluntati , atque conatui se aptantes , nihil omittant , quod faciendum eis ex legibus incumbit , quo sane fact , ut unanimi consensu tam Superiores , quam Subditi æquo zelo ferventes in unum ead Dei gloriam intendant ; non enim leges scripsisse sufficit , nisi opere ipso adimpleantur .

### N. IV.

Ad hæc , nemo prorsus sit , qui ab alicujus legis observantia quocumque prætextu , vel titulo se immunem credat , sed omnes humero uno Domino servientes , unum portent communè legis o-

nus. Præcipue vero ab exercitiis communibus nemo sine Superioris licentia abesse præsumat, præter eos, quibus ob alia onera obeunda ex legum nostrarum præscripto id conceditur.

## N. V.

Postremo ut facilius hæc debita legum observantia promoveatur, singulis præscribitur, ut quæ omnibus servandæ incumbunt, privatim eas sæpius legere, & meditari conentur. Veruntamen constitutiones apud se nemo aliis habeat præter capitulares, sive consultivos, sive decisivos; ii vero aliis Religiosis illas nullatenus commodent; communes tamen Regulas, ut par est, quilibet Clericus latino, Laius vernaculo sermone editas apud se retineat. Nemo autem

sine expressa licentia leges nostras quocumque nomine vocentur externis aliis legendas tradat.

## N. VI.

Sciant tandem omnes nullam nostrarum legum nos ad culpam obligare, sed ad poenam sollemmodo aliquam; culpæ tamen ii tantum erunt obnoxii, qui aut quidpiam grave, aut notabile circa vota, vel juramenta, aut circa ea, quæ divina, vel humana lege prohibeantur, ausi fuerint violare, vel si præcepto in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub poena excommunicationis, in eos lato non obedirent.



## CAPUT XXVI.

*De Regulis communibus circa actus erga proximos in universum exercendos.*

## N. I.

Perfectæ charitatis amplitudo exposcit, ut sicut erga Deum, & nos ipsos, erga Superiores, ac Religionem ordinamur, ita etiam erga proximos, charitatis spatia dilatantes, dirigamur. Quod sane facile assequemur, si sequentes regulas opere ipso, & affectu amplectamur, in quibus tum ea, quæ cum proximo conversantes vitare, tum ea, quæ ad ejus salutem ex instituto assumere debemus, describuntur.

## N. II.

In universum autem erga proximum ita omnes se gerant,

ut opere, & executione præstent, quod Dominus nobis præscripsit, dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Sed jam ipsas peculiares Regulas sub jungamus.

## CAPUT XXVII.

*De Regulis communibus circa recessum a negotiis sæcularibus.*

## N. I.

Inter alios Religiosæ vitæ actus ille est valde optabilis, quo a mundi tumultu longe abducta hominis mens, Cælo ipsa sistit, Deoque unitur, ut merito quisque nostrum sibi consulere, ac sedulo prospicere valeat, ne quem Deus a turba sæculi, rerumque

colluvie semovit, is postmodum ab hoc tranquillo portu, mente divulsus, rerum sacerularium, & negotiorum fluctibus, ac mundi sollicitudinibus obruatur; ne igitur in has miserias incidamus, mundanæ conversations, & occupationes (quoad fieri potest) amoveantur, nihilque terrenæ sollicitudinis admittatur.

### N. II.

Quod ut facilius assequamur, nemo nostrum, nisi ubi necessitatis, charitatis, aut urbanitatis ratio id exigat, cum sacerularibus colloquatur, & præser-tim cum mulieribus sine Superioris licentia, nisi qui ad earum confessiones excipiendas sunt approbati. Ab ipsis tamen diutini, ac crebri sermones in Ecclesia sive intra, sive extra con-

fessionale omnino vitentur. In universum autem frequentes congressus, & iniutiles conversations cum Sacerularibus non habeantur, nam gravia inde oriuntur pericula, & facile animus ad ea, quæ mundi sunt prolabitur, iis autem quibus sine Superioris licentia cum illis colloqui non licet, ad domus januam, non votati, minime accedant. Illud insuper unusquisque caveat, ne ex-traneos ad cubiculum, aut per domum ducat sine honestatis, aut necessitatis causis supradictis, neque illis, quæ domi acta sunt, vel gerentur referat, nisi dum taxat, quæ ipsis ædificationem parere possunt.

*N. III.*  
Similiter cum mulieribus quantumvis piæ, & sanctæ vi-

deantur , aut propinquæ sint , consuetudo , & familiaritas nullo modo interatur : eas insuper domi visitare , nisi Superior concesserit , nemini liceat ; verum Superior non nisi rationabili ex causa , nec promiscue omnibus id concedat . Qui vero eas inviserit , designatum sibi a Superiori socium secum retineat , & nullo modo solus cum sola sit . Quod si cum illis secreto aliquid tractare necesse fuerit , præsens sit socius , ubi aspicere , non tamen , quæ secreto loquentur audire possit , Superioris autem , ut praxis hæc omni tempore accuratissime servetur , diligenter invigilent . Cum Monialibus tandem absque Superiorum Nostri Ordinis , aliquorumque , quibus de jure spectat , licentia , gravi interveniente cau-

sa ab illis probata , colloqui nullus audeat .

#### N. IV.

Jam vero absque Provincialis facultate , & aliis a jure requisitis nemo cum aliquo Congnationem Spiritualem per Baptismi , vel Confirmationis sponsonem contrahere possit ; quam facultatem a nostris non nisi difficulter , & raro impertiri fas erit : ad baptizandum vero Superioris localis licentia , quantum ad nos attinet , sufficiat . Nemo sine gravi ratione , & Superioris etiam licentia testamentorum executorem agat , aut Matrimonio , vices Parochi gerens intersit . Præcipue vero Nostris prohibemus in lite , quamvis civilis sit testimonium ferre , nisi plane ab eo coactis , qui cogere jure poterit :

Superiores autem Nostri, ne id permittant, præterquam in causis valde piis, atque aliis a partium offensione semotis; dedecet enim quempiam ob religiosi vi-ri testificationem suorum bonorum, aut famæ, & detrimentum pati.

## N. V.

Porro in universum, ut a mundanarum rerum tumultu sis-  
mus (quoad fieri poterit) maxime alieni, non permittant Superiores quempiam sacerdotalibus negotiis se admisceri, sed sua negotia ipsis gerenda relinquuntur, nisi charitas, vel gravissima alia ratio aliter suadeat, quo tamen casu negotium quantumvis pium, & religioso viro dignum sine expressa Superioris licentia gerendum ne suscipiatur.

## CAPUT XXVIII.

*De Regulis communibus circa exercitia vitæ activæ in genera-re ad proximorum juvamen-assumenda.*

## N. I.

**E**ximum illud piæ charitatis opus, quo proximorum saluti prospicitur, vitæque activæ exercitatione completur, cum ex instituti ratione, ita ad Nostram Religionem pertineat, ut inter ejus munia hoc sit unum ex primariis sibi propositis, illud omni promptitudine erit a nobis gerendum in omnibus nostris Collegiis, & Domibus, illis exceptis, quae ad recessum, & Novitiatum separatum destinan-  
tur.

## N. II.

Personæ autem , quæ ad hæc munia applicantur studeant Animarum zelum , qui operi vim tribuit , & incrementa ministrat , ita ferventer in se ipsis concipere , ut omnibus ex hoc opere pateat , eos vera esse charitate repletos . Attamen priusquam huic muneri quis nostrum deputetur , præviis documentis , & instructionibus circa proxim muniantur , & ante quam operi intendant , orationi , ut par est , sedulo vacet .

## N. III.

Cæterum charitatis ordinem , quo unusquisque propriæ salutis prospicere debet , nemo invertat : non enim Animæ propriæ cura est abjicienda , ut proximorum lucra adipiscantur . Quare sic omnes e-

xercitia temperent , ut quod a liorum saluti exhibent , propriæ non denegent , & quod verbo docent , virtutibus roborent .

## N. IV.

Illud denique decernimus , ut in his muniiis exequendis ab omni prorsus bonorum temporaliū cupiditate , & avaritiæ specie se nostri reapse alienos esse ostendant , Dei gloriam solum intuentes . Unde gratis omnino a nobis hæ vitæ activæ functiones peragantur , nec ullo prorsus modo stipendia postulare licebit , Apostoli vestigiis sic inhærentes , qui ad Corinthios ajebat : *Non ero gravis vobis , non enim quæro , quæ vestra sunt , sed Vos ; sed ea duntaxat , quae eleemosynæ nomine deferuntur , accipi poterunt , & hæc quidem non ad*

privatum Religiosi commodum, qui hoc munus exerceat, spectabunt, sed ad utilitatem Domus, in qua assignatus vixerit; nisi a Sæcularibus alteri Domui fuerint in specie destinata.

## N. V.

Illud postremo adjungimus, ut in exercitiis, quæ in Ecclesiis nostris fient, perseverantia retineatur, & prorsus absit inconstantia, quæ pium Populi extinguit affectum, & turpem instabilitatis notam non sine maximo Religionis detimento nobis inurit. Sed & Cultus Ecclesiarum, earumque administratio, & ritus sic semper eluceant, ut facile ad eas frequenti concursu trahantur fideles, ex quo parator nobis adjuvandi ipsos detur occasio.

## CAPUT XXIX.

*De Regulis communib[us] circa  
Sacramenta proximo  
administranda.*

## N. I.

Sed jam peculiares vitæ activæ actus præscribentes primùm nobis se offert Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administratio, ad quæ sane proximis exhibenda magna semper promptitudine nostros paratos esse oportet.

## N. II.

Jam vero personæ, quarum Confessiones excipientur a nostris, promiscue sine exceptione omnes erunt, tam viri, quam mulieres, & etiam qui in lectis ægrotant. Verum ad mulierum Confessiones audiendas Sacerdo-

tes juniores non deputentur, sed qui ætate, & moribus sint maturi. Monialium vero Confessiones audire Nostris nullo modo liceat, nisi gravissima causa adsit, & Patris Provincialis de voto, & consensu suorum Assistentium licentia accedat, nisi forsitan, ut Confessarius extraordinarius quis vocetur; pro illa vice enim Superioris localis licentia satis erit; qui temere sine hujusmodi licentiis præter alias a jure requisitas earum Confessiones audire præsumperit dignis poenis a lege præscriptis puniatur.

N. III. Ulterius erga Confessionis locum decernimus, ut mulierum Confessiones præter quam in Ecclesiis non audiatur, nisi cala-

mitatis alicujus, vel ægritudinis ratio aliter postulaverit; ita tamen, ut ne solus cum sola sit, sed Comes ibi adsit, ubi possit ab eo conspicere. Virorum Confessiones, aut in Ecclesiis Nostris, aut in locis ad id designatis audiatur. Sed & in Ecclesiis confessionalia in locis patentibus collocentur, singula pro Confessariis singulis; ita vero disponantur, ut tam Poenitentes, quam Sacerdos conspicere facile possint.

## N. IV.

Præterea in Sacramenti Pœnitentiæ Ministerio ita procedant, ut in eo, præsertim cum mulieribus Confessarii longius æquo sermones non protrahant, sed inutilia rescant, quæ inumeris ratio exposcit, ea tantum præ-

stare satagant. Charitatis officia erga omnes præcipua exhibeant, eorumque saluti pio affectu jupiter intendant.

N. V.

Quod etiam hujus tam Sancti Ministerii usus frequens sit in Ecclesiis Nostris adnitendum pro viribus erit; id enim animarum salus, quæ nobis curanda proponitur, exposcit. Provincialium itaque partes erunt, sufficientem Confessariorum numerum in singulis Domibus, & Collegiis deputare, qui accuranti populo faciant satis. Missas propterea in Ecclesiis Nostris ultimas, festis præsertim diebus, ii celebrent Sacerdotes, qui Confessarii non sunt. Quædam insuper instituatur per singulos dies circularis Confessariorum in Do-

mo residentia, ut vicissim in Orbem unus sit, qui eo die, quo quis huic circulari residentiæ deputabitur, mane usque ad horam prandii ad Templum non discedat; a prandio vero, Domi residens, ad Confessiones audiendas vocatus statim accurrat; Proinde sine gravi necessitate Domo non egrediatur; quod si egredi sit necesse, Confessarius alter, qui illius vices gerat, omnino substituatur, ipsorum, nempe, antiquitate novissimus; At vero si alii præter designatum fuerint, eo die ad id munus obendum necessarii, ab ultimis similiter inchoetur. Præfatus itaque circulus spatio unius hebdomadæ, si fieri poterit, claudatur. Ideoque septem antiquitate Postiores, exceptis per Constitu-

tiones excipiendis, in hoc circulo continēantur, quorum singuli per bis singulos dies ad id onus deputandi erunt. Cæterum in Collegiis hæc Residentia circularis non necessario instituenda, sed id Provincialis relinquitur arbitrio, locorum habitatione.

### N. VI.

Præterea Dominicis, & Festis diebus, in earum item Vigiliis, in Hebdomada Sancta, tempore Jubilæi, & quotiescumque fidelium accursus id exigere videatur, omnes in Ecclesia residere, & libenter poenitentiæ Ministerio animas Christo lucrifacere non desistant. Demum omnibus alio tempore, ultra hæc jam præstituta, se quisque ad hoc munus paratum exhibeat;

statimque vocatus præstò adesse conetur.

### CAPUT XXX.

*De Regulis communibus circa Verbi Dei Ministerium Proximis exhibendum.*

### N. I.

**A**liud Religionis Nostræ Munus, quo proximorum salututi vacamus, Verbi Dei scilicet ministerium primarias vices sibi jure vindicāns, Populo variè a nobis exhibendum constituitur; sed prius quam nostri ad publice concionandum accedant, prævia quadam exercitatione se munitant, unde privatis declamationibus in Refectorio, lectionis loco, inter comedendum, aut alibi quasi

sermonibus ad Populum paratis de Præpositi electione declamitant; utque profectum sibi valent comparare unus Nostrorum constituantur concionandi arte peritus, qui illos instruere pro munere habeat, quique etiam post singulas declamationes privatim eos admoneat, si in aliquo defecisse conspexerit, id quod etiam præstabit, cum eorum quis publice concionem habebit, usque dum probe instructus evadat.

N. II.

Porro in universum, actus ipse, & modus concionandi sic procedat, ut in eo verborum affectationes, inutiles narrationes, vanæ ostentationes, facetiæ, & id genus alia, quæ Evangelicum Concionatorem dedecent omnino vitentur, & qui his intendens

non resipuerit, ei concionandi facultas ne fiat. Proinde Conclaves huc dirigant Nostri, ut Animas Christo lucrificare possint, & Charitatis ignem spirantes, Apostolici Viri auditoribus videantur. Denique ritum in Conclavis actu uniformi observantia teneant omnes, eum scilicet, qui in libello de ritibus habetur.

N. III.

Quod vero ad Conclavium loca spectat, in Civitatibus quidem, ubi domicilium habebimus, æquum est, ut potius in nostris Ecclesiis, quam alibi nostri concionentur, & admittendum erit, ut semper in iis Quadragesimæ, & Adventus tempore, aliisque Dominicis, & Festis diebus totius anni concio habeatur, sitque propterea Ec-

clesia Nostra verbi Dei Semina-  
rium, non Dominus Orationis dum-  
taxat. In aliis vero Ecclesiis con-  
cionari nobis etiam licebit, ita  
tamen, ut si in eadem Urbe  
domicilium habeamus, concionato-  
r ubi concessionem absolverit,  
Dominum ad prandium (si tamen  
commodè id fieri possit) rever-  
tatur. Paulo verò ante tempus  
prædicandi alio non tendat, nec  
deflectat de via, sed recta pro-  
ficiatur. Porro concionatores  
ad prædicandum per loca distri-  
buere Provincialis erit, si tamen  
in aliqua Nostra Ecclesia Qua-  
dragesimales, vel Annuales con-  
ciones, vel saltem Adventus non-  
dum habitæ fuerint nullo modo  
statuantur, nisi de Provincialis,  
suorumque Assistentium Voto  
pro Domorum, locorumque ra-  
tione.

## N. IV.

Jam vero, non solum con-  
cionibus, sed sacris etiam lec-  
tionibus Populo in Ecclesiis No-  
stris verbi Dei Ministerium ex-  
hiberi poterit hac etiam ratione,  
ut sacræ Scripturæ expositio ad  
illius in fide, ac morum instruc-  
tionem proponatur, sive tracta-  
tus alicujus Mistici, vel Mora-  
lis lectio fiat. In qua vero ex  
Nostris Ecclesiis hujusmodi erunt  
sacræ Lectiones exhibendæ non  
nisi Dominicis, & festis aliis die-  
bus, atque vespertinis horis con-  
gruis populo accurrenti habeantur;  
sic tamen, ut Provincialis,  
suorumque Assistentium licentia  
adsit, ubi id exercitium institui  
oporteat.

## N. V.

Ultimo: administratio illa

Dei verbi, qua fidei rudimenta pueri edocentur, cum Nostro Instituto insuper consona sit, decet, ut vel in ipsis nostris Ecclesiis, vel alibi, ubi aliqua necessitas hoc Charitatis munus postulaverit, a nostris exhibeatur.

## CAPUT XXXI.

*De Regulis communibus circa alias functiones ad proximorum salutem assumendas.*

### N. I.

**C**haritatis spatia dilatantes, ejusque complementum, quoad animarum salutem, actibus plene assequi intendentes, hæc alia constituere ducimus; & in primis Missarum celebratio in Ecclesiis nostris congrua

dispositione ordinetur, ut quoad fieri possit assidua sacrificia sint, quibus Populo adeunti fiat satis.

### N. II.

Ad fidelium quoque devotionem promovendam Solemnis quandoque in Ecclesiis nostris quadraginta horarum Oratio, musico cantu adhibito, habeatur, prima autem cujuscumque Mensis Dominica, mane dumtaxat, quoad usque Missarum Sacrificia absolvantur, Eucharistiæ Sacramentum decenter in altari exponatur, ibique eo temporis spatio fiat a nostris in orbem Oratio. Cæterum in ea Urbe, ubi simul Domum exercitorum, & Collegium habebimus, hæc Sacramenti expositio si in domo exercitorum fiat, satis erit. An vero in aliis Dominicis, & fe-

tis diebus , an etiam in Collegiis , an deinde non solum mane , ut supra , sed vespere etiam prædicta Expositio modo præscripto fieri debeat , Provincialis consultationis arbitrio relinquitur , habita item Domus , Populi ratione .

## N. III.

Si Provinciali Consultationi videbitur , singulis totius anni Sabbatis in Ecclesiis Nostris , absoluto Completorio , solemniter Beatæ Virginis Mariæ Litaniæ Lauretanæ cantentur Musico etiam cantu adhibito , prævia si fieri poterit concione de ejusdem Beatæ Virginis Laudibus ad Populi ciendam devotionem .

## N. IV.

Jam vero methodum exercitiis spiritualibus vacandi fide-

libus tradere , eosque in Dominibus Nostris admittere , Charitatis opus est , quod etiam libenter amplectimur , prævia tamen , ut fas est , Superioris licentia præstandum .

## N. V.

Ulterius ad comparandas tum Superiorum , tum inferiorum facultatum Disciplinas in Nostris Collegiis externos admittere , eosque etiam in contubernio apud nos sub Superioris regimine habere , Charitatis amplitudini , & Instituto adhaerens hanc quoque Functionem Nostra Religio , assumit , ea , scilicet ratione , quæ in libello Studiorum traditur .

## N. VI.

Sed illud quoque Charitatis opus exercere commendamus ,

nimirum, quosdam ex Nostris doctrina, zeloque vigentes ad ea loca per aliquot dies quandoque destinare, quæ salutari Institutione indigere videbuntur, ibique Apostolico more Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacra menta ministrare, verbum Dei propnere, fidei rudimenta tradere, aliisque functionibus animarum lucra perquirere, ex munere valeant; hujusmodi tamen Missiones sine Provincialis licentia, nec sine probo comite ab ipso, vel a Superiori locali designato non peragantur.

### N. VII.

Denique eodem Charitatis Spiritu ducti, eos etiam qui in lectis graviter ægrotant, visitare, eisque pœnitentiæ Sacra menta ministrare, piisque monitis in Fi-

de, ac Spe confirmare, ac demum animam agentibus adstare, & confortare poterunt, cum postulaverit occasio, Nostri Religiosi poterunt. Eodem insuper Charitatis affectu, eos qui in Nosocomiis decumbunt, & qui in Carceribus, detinentur, quandoque visitare consentaneum etiam Nobis erit. Insuper in dissidiis componendis, in inimicitiis extirpandis, & in hujusmodi aliis misericordiæ operibus exequendis Nostri piè semper incumbant.

### N. VIII.

Postremo & si tam variis functionibus proximorum juveni mini se Nostra Religio profiteatur addictam, omnino tamen Monialium curam nullo modo admittere intendit. Parochiarum vero administrationem nisi forte

ad majorem Dei Gloriam, & commune Religionis bonum id quandoque expedire videatur, suscipiendam prohibemus, quod tamen onus in casu prædicto non admittatur nisi in Domibus exercitiorum, & ubi magna alia onera non incumbunt; in Collegiis vero non nisi alia gravi ex causa; ac dénum non nisi de Præpositi Generalis, suorumque Assistentium licentia, prævia Provincialis, & Assistentium ejus Provinciæ informatione, ubi Parochialis cura suscipienda erit.

*F I N I S.*

## INDEX C A P I T U M.

<i>P</i> ræfatio.	pag. 3
CAP. I. <i>De Regulis communibus circa finem Nostræ Religionis, ac media in universum.</i>	pag. 7
CAP. II. <i>De Regulis communibus circa solemnia Vota in universum.</i>	pag. 10
CAP. III. <i>De Regulis communibus circa Paupertatem.</i>	pag. 12
CAP. IV. <i>De Regulis communibus circa Castitatem, &amp; Obedientiam.</i>	pag. 22

- CAP. V. *De Regulis communibus circa Votum, & Juramentum non ambienti.* pag. 29
- CAP. VI. *De Regulis communibus circa Contemplationem, & alios Actus erga Deum exercendos.* pag. 32
- CAP. VII. *De Regulis communibus circa Mentalem Orationem.* pag. 35
- CAP. VIII. *De Regulis communibus circa Chorum, & Divina Officia.* pag. 39
- CAP. IX. *De Regulis communibus circa Ecclesiæ cultum, & sacram Supellectionem.* pag. 49
- CAP. X. *De Regulis communibus circa Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ usum.* pag. 52

- CAP. XI. *De regulis communibus circa conscientiæ examen, atque alia ad viæ contemplatiæ institutum pertinentia.* pag. 57
- CAP. XII. *De Regulis communibus circa actus erga se ipsos, & ad invicem exercendos.* pag. 64
- CAP. XIII. *De Regulis communibus circa ea, quæ ad viðum attinent.* pag. 66
- CAP. XIV. *De Regulis communibus circa ea, quæ ad vestitum, & alia, quæ ad corpus attinent.* pag. 76
- CAP. XV. *De Regulis communibus circa carnis mortificationem, ac pœnitentiæ rum usum.* pag. 86
- CAP. XVI. *De Regulis communibus circa silentium.* p. 94

- CAP. XVII. *De Regulis communibus circa modestiam.* pag. 99
- CAP. XVIII. *De Regulis communibus circa charitatem fraternalm, & uniformitatem servandam.* pag. 101
- CAP. XIX. *De Regulis communibus circa charitatis munus erga infirmos, & defundatos fratres.* pag. 105
- CAP. XX. *De Regulis communibus circa rationem Domo egrediendi iter agendi, ac Nostros hospites excipiendi.* pag. 115
- CAP. XXI. *De Regulis communibus circa rationem communicationis habendae per litteras.* pag. 126
- CAP. XXII. *De Regulis communibus circa ea, quæ er-*

- ga Superiores, Religionem & ejus statuta sunt gerenda in universum.* pag. 133
- CAP. XXIII. *De Regulis communibus circa actus erga Superiores exercendos.* p. 134
- CAP. XXIV. *De Regulis communibus circa actus erga Religionem.* pag. 139
- CAP. XXV. *De Regulis communibus circa actus erga leges, & statuta.* pag. 142
- CAP. XXVI. *De Regulis communibus circa actus erga proximos in universum exercendos.* pag. 148
- CAP. XXVII. *De Regulis communibus circa recessum a negotiis secularibus* 149
- CAP. XXVIII. *De Regulis communibus circa exerci-*

*tia vitæ activæ in genere  
ad proximorum juvamen  
assumenda.* pag. 155

CAP. XXIX. *De Regulis  
communibus circa Sacra-  
menta proximo admini-  
stranda.* pag. 159.

CAP. XXX. *De Regulis com-  
munibus circa verbi Dei  
ministerium Proximis ex-  
hibendum.* pag. 165

CAP. XXXI. *De Regulis  
communibus circa alias  
fundiones ad Proximorum  
salutem assumendas.* pag. 170

Die 30, Junii 1792.

IMPRIMATUR EXTRA URBEM.  
Fr. Thomas Vincentius Pani Ord.  
Pred. Sacri Palatii Apostolici  
Magister.

De mandato Illm̄i, & Rm̄i Dñi  
Philippi Trenta Episcopi.

V I D I T.

Petrus Niccoli Sem. Fulg. Rector.

IMPRIMATUR SI VIDEBITUR.  
Justinianus Poggius Archipresbyter  
Eccl. Cathed. & Pro-Vicar. Gen.

o) (o)

IMPRIMATUR.  
Fr. Ludovicus Civini Ordin. Praed.  
S. T. M. Vicarius S. Officii Fulg.

ERRATA CORRIGE

Pag. 8. num. II. linea 7.

intentione \_\_\_\_\_ intensione

Pag. 10. num. I. linea 4.

serventur \_\_\_\_\_ servetur

Pag. 72. linea penultima

exibeant \_\_\_\_\_ exhibeant

Pag. 100. linea 11.

se honore \_\_\_\_\_ alios honore

Pag. 165. num. I. lin. 15.

vindicens \_\_\_\_\_ vindicans



